DE

IMPERATORIS
SERVII SULPICII GALBAE
VITA ET REBUS GESTIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE VI. MENSIS JUNII A. MDCCCLXVII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

BERNARDUS BOEING,

GUESTFALUS.

MONASTERII.

TYPIS COPPENRATHIANIS.

MDCCCLXVII.

DE
IMPERATORIS
SERVII SULPICII GALBAE
VITA ET REBUS GESTIS.

I.

Rerum status qualis fuerit ante imperatorem Galbam.

Imperium Romanum, quod, dum boni vigebant mores, gloria atque magnitudine floruit, labente disciplina ad majorem delapsum erat infirmitatem. Neque ipse principatus, in quem res publica deinde transiit, imminentem ejus ruinam prohibere potuit, quippe quum, ut Livii verbis utar, jam nec vitia nec remedia pati posset. Ipsius autem populi depravatis moribus evenit, ut imperatores in administranda civitate tanta et uterentur et uti possent saevitia,[1]) ut omnes fere, qui Augusto successerunt, imperatores alter alterum perderet, ut avaritia, luxuria, omnibus denique rebus ineptis inter se certare viderentur. Multa jam crudelia facinora passum erat imperium Romanum; atrociora etiam imminebant pericula.

Nam usque ad mortem Neronis, qui ultimus regnabat Augusti nepos, senatus quoque auctoritas alicujus momenti erat in eligendo imperatore. Quum autem Galba, vivo Nerone, seditione facta, rerum potitus esset, etiam extrema illa auctoritatis species erepta est senatui, militumque libidine atque licentia permiscebantur omnia.[2]) Tum enim evulgatum erat imperii illud arcanum „posse principem alibi quam Romae fieri.“[3])

Iam antea Claudius, senatu primum invito, imperator erat factus per praetorianos, quibus hac de causa donativum dederat[4]) Eodem modo Nero post Claudium interfectum, donativo praetorianis dato, imperium usurpaverat; sed postea, re impetrata, senatum, ut probaret, rogavit.[5])

---

[1]) cf. F. C. Schlosser. Weltgeschichte, bearbeitet von Kriegk, IV. p. 199. — [2]) cf. Tacit. Hist. I., 50. — [3]) cf. Tacit. Hist. I., 4. — [4]) cf. Sueton Claud. c. 10. — cf. Dion. Cassii lib. 60, c. 1. — [5]) cf. Tacit. ann., XII., 69. — cf. Sueton. Nero., c. 8.

Tum vero ubi etiam exercitus in provinciis dislocati jus principis eligendi sibi vindicaverunt, et unusquisque eorum sibi maxime illud jus deberi putavit, omnis tempestas bellorum civilium imperio rursus imminebat.[1]) Nam non solum suo arbitrio Caesarem sibi elegerunt, sed electum quoque, alio majus donum licente, iterum removere ausi sunt, ita ut, quo magis quisque rapinis et petulantiae militum favebat, eo diutius imperaret.

Quamquam autem miseranda illa rerum conditio breve quidem tempus imperium quassavit, quum brevi disciplina apud milites restitueretur, tamen postero tempore, exemplo semel dato, eadem semper pernicies rediit. Quae quidem soli Galbae, qui illam ruinam, in quam postea civitas incidit, primus adduxit, nihilominus crimini attribui non potest, quum ipse in administranda civitate, quam se auctoritate senatus accepisse putavit, quantum fieri potuit, summa uteretur moderatione.

Quae quum ita sint, Galbae vita atque res gestae, quae accuratius exponerentur, mihi satis dignae esse videbantur.[2])

Quamvis imperatores Tiberius, Cajus, Claudius imperium Romanum cum saevitia atque indignitate administravissent,[3]) omnes tamen Nero nequitia multo superavit; neque hoc mirum. Nam ipse pater Domitius amicis de Nerone filio nato sibi gratulantibus: „Nec enim, inquit, fieri ullo modo potest, ut ex me et illa vir bonus nascatur;“ quod, ut Dio Cassius addit, non ex vaticinio, sed ex suis et Agrippinae moribus praeviderat.[4])

Quod quam vere pater praedixerit, celeriter apertum est. Nam Nero imperium omnino negligens solas sequebatur voluptates. Praecipue autem ludis et scenicis et circensibus deditus non solum se ipsum cantantem et aurigantem oculis universi populi ostentavit, sed ut quam minimum ex hac re caperet dedecoris, honestissimum quemque equitum consulariumque idem facere coegit.[5]) Neque his rebus contentus quum suae tum aliorum pudicitiae nequaquam pepercit. — Longum est, alia enarrare scelera, quibus imperium Romanum deformaverit.[6])

---

[1]) cf. Tacit. Hist. I., 50. — [2]) cf. Crevier. Hist. des empereurs Romains., V., p. 3. — cf. Schlosser., l. c. IV., p. 227. — [3]) cf. de illis imperatoribus Philostrat. de vit. Apoll. ed. Olearius, V., c. 32, p. 214. — [4]) Dion. Cassii 61. 2. — [5]) cf. Tacit. an. XIV., 15. Sueton No. 11. — [6]) cf. Zonar., XI., 12.

Quum praeterea spectaculis, donis, coenis[1]) sumptuosissimis, quibus vulgus militesque sibi conciliaret, celeriter exhausisset fiscum, maximas rapinas, quia jam inusitata vectigalia[2]) non sufficiebant sumptibus, per totum imperium exerceri jussit. Neque ullo unquam tempore tantopere premebantur provinciae exigendis pecuniis, neque unquam antea tantam pertulerant exactorum saevitiam, quippe qui sine ullo metu, ne repetundarum accusarentur, omnia rapere possent. Quomodo hac licentia usi sint,[3]) rebelliones Judaeorum,[4]) Britannorum,[5]) Gallorum plane ostendunt.

Quae quum ita essent, omnes non solum in provinciis, sed Romae quoque Neronem abhorrere apertum est. Conjurationes autem, quae ob eam rem contra ejus vitam factae erant, detectae ei ad omnes, quoscunque volebat, interficiendos optatam occasionem dederunt. — Itaque nemo bonus vel dives, quamvis se a negotiis publicis removeret, sine metu mortis esse poterat.[6]) Alium enim petebat, ut ejus opes sibi pararet, alium, quia eum a suis facinoribus alienum timebat. Incendium quoque, quod maximam Romae partem delevit, et mali nuntii,[7]) qui afferebantur ex provinciis, odium contra Neronem valde auxerunt. — Nero autem haec omnia negligens in Graeciam se contulit, ut ibi quoque artificis laudem sibi pararet. Qua in terra dum versatur, illa tandem in Gallia seditio coorta est, Vindice auctore, quo factum est, ut a foedissimo tyranno imperium liberaretur.

Cajus Julius[8]) Vindex summo loco natus propraetor tum Galliam[9]) administrabat. Maternam originem e regum Aquitaniae

---

[1]) cf. Sueton Nero., c. 27. — [2]) cf. Sueton. Nero., c. 32. — cf. Zonarae, XI., 12. — Tacit. ann. XV., 45. Dion. Cassii 61, 5. — [3]) cf. Plutarch. Galb. c. 4. — [4]) Eusebii chron. p. 273: Joseph Flav. Antiqq. XX., c. 11. §. 1. [5]) cf. Zonar. XI., 13. Jnjurias, quas pertulerunt Aegyptii, cognoscas ex decreto Tiberii Alexandri. cf. Boekh. Corp. inscr. Graec. III. n. 4957. Rudorff, Rhein-Mus., II., a. 1828, p. 64. — [6]) cf. Eutrop. VII., 14. Sueton. No. 37. — [7]) cf. Tacit. ann. XV., 15. Sext. Rufi., c. 20. Eutrop., l. c. Sueton., No. 39. — [8]) De Vindicis praenomine, quod omnes auctores non referunt, cf. Pauly Realenc. IV. p. 489. — [9]) Quam Galliae provinciam Vindex administraverit, nullus rerum scriptor affert. Quum autem Vindex „provinciae inermi“ (cf. Tacit. hist., I. 16) i. e. praesidio non firmatae praeesset, et Gallia Narbonensis sola senatoria esset, (cf. Becker et Marquardt, Röm. Alterth., III., 1., p. 88—91), hac Vindex mihi functus esse videtur. — Cui rei etiam Philostratus assentitur, quum Vindicis

stirpe duxisse dicitur; patrem autem senatorii ordinis apud Romanos fuisse constat. Vindex igitur, quum Gallos crebris pecuniarum exactionibus vexari, Neronem magis magisque flagitiis se dare videret, Galliae et universo imperio subvenire constituit. Nam mirum quanta libertatis gloriaeque cupidine flagrabat, ita ut ad subeunda pro re praeclara pericula semper se paratissimum praestaret. Accedebant magnae corporis vires, eximia prudentia, summa rei militaris peritia, quae omnia prae ceteris eum ad liberandam civitatem aptissimum reddiderunt.[1])

Itaque Gallos, quos ad defectionem propensos esse jam sciebat, ad concionem convocat et ubi, qualem haberent principem, uberius exposuit, ut secum a Nerone deficerent, eos hortatus est. Tantum autem aberat, ut sibi imperium parare, aut Galliam a civitate Romana divellere cogitasset,[2]) ut omnes jurejurando obstringeret „*πάντα ὑπὲρ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου Ῥωμαίων ποιήσειν καὶ αὐτὸν, ἄν τι παρὰ ταῦτα πράξῃ, φονεύσειν.*“[3])

Dignissimum enim, qui princeps fieret, designavit Galbam, cui quidem omnes, quum et antiquitate generis et gloria majorum et summa modestia atque rei militaris peritia unus omnium maxime floreret, satis confidebant, ita ut una voce imperatorem eum proclamarent.[4])

---

provinciam vicinam (ὅμορον) Hispaniae fuisse contendat. (cf. Philostr. vit. Ap. V. 10.) Qua de causa Suetonius (Ner. c. 40), qui Vindicem propraetorem nec proconsulem nominat, hoc loco mihi errasse videtur; quod facile fieri potuit, quum Gallia Narbonensis primum provincia imperatoria fuisset. cf. Becher et Marquardt. l. c.

[1]) cf. Philostr. l. c. V. 10. Dion. Cass. 63. 22. — [2]) Quod Sievers. affert in programmate Hamburgensi a. 1860. p. 32. repugnat Zonar. et Dio Cass. (cf. Pauly l. c. IV. p. 489. Niebuhr. Römisch. Gesch. Jena 1845 V. p. 269. Nummus autem, qui a Vindice „Cajus Julius Caesar“ incriptus esse dicitur, (cf. Mediobarb. p. 97.) suspectus est jamque Tillemont. (I. p. 136) jure de eo dubitat. — [3]) cf. Dio. Cass. 63. 22. Zonar. l. c. Joh. Antiochenus (ed. Müller frgta hist. Graec. Paris. Didot. IV. p. 575 §. 91.) — [4]) Nero de seditione a Vindice facta Neapoli XIX d. mensis Martii certior factus est (v. i.) Quum autem hunc nuntium quam celerrime Neroni allatum esse pro certo putandum sit, iter autem ex Gallia Romam factum spatium VII vel VIII dierum contineat, — tot enim diebus Icelum postea Roma in Hispaniam profectum esse scimus (Plutarch. 7) — seditio ipsa circiter X vel. XI diem mensis Martii erupisse videtur. —

II.

De Galbae majoribus.

Imperator Galba, qui paternam originem ad Jovem, maternam autem ad Pasiphaen, Minois uxorem retulit, clarissima et vetere Sulpiciorum gente ortus est.[1]) Haec gens in complures dividebatur familias, quarum quaeque pari laude floruit.[2]) Cognomen autem Galbae, cur aut unde tractum sit, non constat. Suetonius quidem diversas hac de re sententias nobis tradit, quarum quaeque pari modo dubia est. Maxime autem probabilis est opinio, quam affert Burmannus ad Sueton. l. c. „barbarum esse nomen et e lingua celtica in Romanam deductum, quum Livius 23. 26. Galbum vel Galbam nobilem Carpesiorum ducem nominet. Haesisse igitur censet, Sulpicio cuidam ex insigni victoria in Hispania a Galba quodam reportata.

Primus inter ejus majores memoria dignus est Ser. Sulp. Galba, qui a. 603 a. u. c. propraetor Lusitaniam administravit. Qui quidem magnum Lusitanorum numerum, quos fide data in unum locum ad pacem faciendam coegerat, summa cum perfidia partim vendidit, partim trucidavit, quae causa erat belli Viriathini.[3]) Quam ob rem Romae a Scribonio tribuno plebis accusatus,[4]) populum, quum orator esset disertissimus,[5]) magna humilitate ad misericordiam vocare studuit, quo factum est, ut crimine absolveretur.[6])

---

[1]) cf. Sueton. Galb. 2. Tacit. Hist. I. 49. Plutarch. Galb. 3. Eutrop. VII. 16. Silius VIII. 472. — Ad maternam originem, quam a Pasiphae Minois, marium domitoris, uxore duxit, ejus sigillum quoque — canis e prora navis prospiciens — spectare videtur. cf. Dion. Cass. 51. 3. et Reimarus ad loc. citat. — [2]) cf. Rosini. Corp. antiqq. Rom. p. 909. Jam ad annm 254. a. u. c. Ser. Sulp. Camerinus quidam, ad annum 543 nomen Galbae primum in fastis consul. reperitur. — [3]) cf. Sueton. G. 3. Appian. Hisp. VI. 58—61. Valer. Max. IX. 6. 2. Orosius. IV. 21. — [4]) cf. Ciceron. de orat. I. 53. Val. Max. VIII. 1. §. 2. C. Nepot. Cat. c. 3. — [5]) cf. Valer. Max. VIII. 7. §. 1. Plinii ep. V. 3. Quintilian. inst. or. XII. 10. 11. — [6]) cf. Cic. l. c.

Filius ejus, quamquam honoribus quidem functus est, nihil tamen memoratu[1]) dignum gessit.

Nepos autem Julii Caesaris legatus multas in Gallia res egregie gessit.[2]) Consulatus autem, quem a. 705 petivit, ei, quamquam multum valebat suffragiis, ob familiaritatem, qua conjunctus erat cum Caesare, ereptus est.[3]) Quum non ita multo post denuo consulatum petens a Caesare ipso, nescio qua de causa, repulsam tulisset,[4]) ob eam[5]) rem infensus cum Bruto et Cassio contra ejus vitam se conjuravit,[6]) quo factum est, ut lege Pedia damnaretur.[7]) Hic erat proavus imperatoris Galbae.

Avus praeturae gradum egressus non est, gloriam autem studiis sibi paravit, quum historiam nec incuriosam ederet.[8])

Pater autem modica eloquentia praeditus causis agendis studiose vacabat. Nihilominus consulatum quoque gessit, quamvis natura, quum brevi corpore atque gibber esset, ei hanc dignitatem denegasse videretur.[9])

Sed quamvis magnum honorem atque nobilitatem paterni ma-

[1]) cf. Appian. Hisp. VI. 99. bell. Mithridat. c. 43. — [2]) cf. Dio. Cass. 39. 5. Caesar. de bell. Gall. III. 1—6. Dio. Cass. 37. 48. — [3]) cf. Caes. l. c. VIII. 50. — [4]) cf. Sueton. Galb. c. 3. — [5]) Alia causa, quae Galbam ad hoc facinus adduxisse videtur, invenitur apud Sueton. Jul. Caes. c. 50. et Ciceron. ep. IV. 5. (ed. Orelli.) — [6]) cf. Appian. bell. civil. II. c. 113. — [7]) cf. Sueton. l. c. de lege Pedia cf. Vellej. Patercul. II. 69. — [8]) cf. Sueton. G. 3. Nepot. Han. c. 13. — [9]) cf. Sueton. G. l. c. Macrob. Sat. II. 4. 6. Suetonio teste quum frater imperatoris Galbae tum pater ejus consulatu functi sunt. Quum autem unus modo consulatus, quo Caj. Galba functus est anno 775, in fastis consularibus reperiatur, omnes recentiores rerum scriptores temere hunc fratri tribuerunt. cf. Nipperdey et Ernesti ad Tac. ann. III. 52. Baumgarten-Crusius ad Sueton. Galb. l. c. — Attamen Suetonii auctoritas, qui utrumque consulem fuisse contendit eo quod alter consulatus in fastis deficit, minime refutatur. Nam ex Augusti tempore consules plerumque in binos menses designati sunt, quorum primi ordinarii vocabantur et anno nomen dederunt atque in fastis leguntur; alii autem nominantur suffecti, neque omnes in fastis inveniuntur, neque memorantur semper a scriptoribus. — Tali modo a. 69. p. Ch. quindecim erant consules et Commodo imperatore quondam uno anno vinginti quinque consules designati sunt. Quin ab anno 67. a. Chr. n. saepissime sola ornamenta consularia data sunt. Quae quum ita sint, auctoritas Suetonii, qui in his rebus enarrandis accuratissimus est, ea de causa nullo modo in dubium vocari potest. Has res multis insuper argumentis firmatas uberius explicaverunt Becker et Marquardt. l. c. II. 3. 235—239. cf. Walter Röm. Rechtsgesch. I. p. 483 §. 282.

jores Galbae reliquerint, gloriam[1]) tamen, quam per matrem Mummiam Achaïcam assecutus est, pluris aestimavit. Illa enim Catuli neptis et Lucii Mummii, qui Corinthum delevit, proneptis, originem ad Pasiphaen retulit.[2]) Alteram uxorem Mummia mortua imperatoris Galbae pater in matrimonium duxit Liviam Ocellinam, quae quum dives tum pulchra eum propter gloriam, qua florebat, sponte enixius quidem petiverat.[3]) Ex Mummia nati sunt duo filii, quorum alter Cajus opibus consumptis et urbe relicta exitum quam tristissimum adeptus est. Quum enim a Tiberio, quominus proconsulatum sortiretur, litteris tristibus prohibitus esset, voluntaria morte vitam deposuit.[4]) Alter filius Servius postea ad dignitatem pervenit imperatoriam.

III.

Galbae vita qualis fuerit ante honores impetratos.

Servius[5]) Sulpicius Galba Valerio Messala et Cn. Lentulo coss. a. d. IX. Calendas Januarias in villa prope Terracinam in colle quodam sita natus est.[6]) Optime de Galba merita est noverca Livia Ocellina, quae eum adoptavit, quo factum est, ut

---

[1]) cf. Ciceron. pro leg. Manil. c. 20. — [2]) cf. Sueton. Galb. 2. 3. — [3]) cf. Sueton. Galb. 3. — [4]) cf. Sueton l. c. Tacit. ann. III. 52. VI. 40. Mortuus est a. 789.— [5]) cf. de praenomine Ser. Orellii inscript. III. ed. Henzen Nr. 6226. Bullettino dell' Instituto di corrispondenza archeologica. Rom. 1845, p. 158. -- Th. Mommsen, Römische Forschungen. Berl. 1864. I., p. 8. — [6]) De anno Galbae natali auctores inter se maxime discrepant. Galba enim, teste Suetonio a. d. IX. Calendas Januarias a. 751 (die 24. Decembr.) natus et a. d. XVIII. Cal. Febr. (die 15. Jan.) a. 822 occisus (cf. Tacit. Hist. I., 27) septuaginta annos et viginti tres dies vixit. At Tacitus (Hist. I., 49.) Eutropius (7. 16.) Aurel. Victor (ep. c. 5.) Suetonius (Galb. 23), qui sibi ipse non constat, Galbam septuaginta tres annos vixisse contendunt. Plutarchus (Galb. 8) autem Galbam, quum imperium acceperit, jam 73 annum egisse dicit et Dio Cassius (64. 6) eum septuaginta duos annos vixisse narrat. Qui auctores, quum vitam sine die et anno definiant, illud oraculum, quo Nero septuagesimum tertium annum cavere jussus est, (cf. Suet. No. 40) ad Galbam pertinuisse idemque temere secuti

apud Liviam Augustam, novercae cognatam, summam in gratiam perveniret. Quam ob rem Galba, ut referret gratiam, Livium nomen et Ocellam cognomen assumpsit et praenomen Servium in Lucium mutavit, quae nomina, donec accepit imperium, retinuit. [1])

Jam ab ineunte aetate Galba mores, quos majores quoque semper servaverant, exoletos quam obstinatissime retinuit, et omnibus in rebus summa frugalitate atque parsimonia[2]) usus est. Neque studium litterarum neglexit, sed praeter disciplinas liberales juris studiis praecipue vacabat, et sic majoribus suis imprimis autem patre[3]) dignum se praestitit. Quod litterarum studium etiam in senectute retinuisse videtur, quum Quintilianum, clarissimum illum rhetorem, quem in Hispania circum se habuerat, postea Romam quoque duxisset.[4]) —

---

esse videntur. Dio Cassius (56, 29) autem Galbam ipsis Calendis Januariis a. 767. togam virilem sumpsisse tradit, quae quidem pueris exeunte anno decimo sexto aetatis dabatur. cf. Rosini Corp. Antiq. Rom. p. 421. Quae res ad annum 751, quo Galba natus est teste Suetonio, accuratissime quadrat. „Quod si autem, inquit Reimarus ad Dion. Cass. l. cit., triennio prius natus fuisset, amplius annum vicesimum attigisset ante virilem togam, quod fere est sine exemplo, ut arbitror.“ — De illo autem oraculo recte judicasse videtur Baumgarten-Crusius ad Sueton. l. c. cf. Tillemont. histoire des empereurs. Bruxelles MDCCXXXII. I., p. 14. Clint. fasti Rom. I., p, 54.

[1]) Si Suetonius (Galb. 2.) Galbam nullo gradu Caesarum domum contigisse fecit, Plutarchus autem (Galb. 3) „ἦν δέ τι καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας“ contendit, non, ut videtur, inter se dissident. Galbam ob propinquitatem, qua noverca ejus cum Livia Augusta esset conjuncta, eidem quoque cognatum habuisse videntur. cf. Tillemont. I., p. 145. Ceterum propter adoptionem Galba Liviam Augustam nullo gradu attigit, quum femina neminem adoptare posset. cf. Walter, Gesch. des röm. Rechts, Bonn 1861, II., p. 155, §. 544. Quibus ex rebus, cur Galba nomina adoptione accepta postea rursus deponere potuerit, dilucide intelligitur. Si autem nihilominus ante ejus imperium plerumque solum nomen Galba legitur, aut quum jam imperator esset, etiam nomina „L. Livius Sulpicius Galba“ (Tillem. n. II., p. 14) vel „Lucius Sulpicius“ ut in tessara quadam gladiatoria legitur (Muratori thesaur. I., p. 303) inveniuntur, his rebus Suetonii verba in dubium non vocantur. His enim nominibus Galba ipse usus non est, sed ab aliis ei brevitatis causa data sunt. — cf. Rudorff., Rhein. Museum, 1828, II., p. 156—157. Gruter. inscription. I., p. 431 n. 2. 3. — [2]) cf. Sueton. Galba. 4. — cf. Plutarch. Galb. c. 3. 11. — [3]) cf. Sueton. Galb. 5. — [4]) cf. Euseb. chron. ed. P. J. B. Aucher Venet. 1818, p. 162. Quintilian. inst. orat. ep. Gernhardo praef. p. 17. n. 3.

In matrimonium duxit Lepidam quandam, quae ei duos filios peperit. Quum autem praematura morte uxor atque filii ei eriperentur, ut iterum uxorem in matrimonium duceret, nequaquam commoveri potuit. Ne Agrippina quidem, Domitii vidua, quamquam quoque modo eum sibi conciliare studuit, consilium ejus mutavit. — Maxime ei favebat Livia Augusta, cujus gratia ante tempus legitimum amplissimis honoribus ornatus est. Quin etiam in testamento ejus Galba inter heredes erat, eique quingenties sestertium legaverat. Nihilominus neque summam notatam, neque illam, quam Tiberius littera legati corrupta ei addixerat, accepit.[1])

Anno 783, si fidem habemus Pighio (ann. III. p. 559.), praetor factus est, ex quo tempore se totum reipublicae dedit, et summa gloria omniumque laude honoribus functus est.

IV.

Galba summis honoribus fungitur.

Ludos Florales,[2]) quos Galba praetor factus[3]) edere debebat, elephantis funambulis,[4]) novo spectaculi genere, celebravit. Praetura perfunctus provinciam Aquitaniam administrandam accepit, cui per annum fere praefuit.

Non ita multo post (786) consulatum, quem Liviae studiis impetravit, per sex menses ordinarium cum L. Cornelio Sulla gessit. Qui consulatus eo memoria dignus factus est, quod ipse

---

[1]) cf. Sueton. G. 5. Tillemont. I. p. 145. — [2]) Ludi Florales a. d. IV. Cal. Maj. usque ad diem IV. a. Nonas Majas pro anni ubertate magna cum licentia in honorem deae Florae quotannis celebrabantur. cf. Becker et Marquardt. IV. p. 450, 525, 323. Plura de Floralibus vide in Rosinii corp. antiq. Rom. p. 185, 272, 353. — [3]) Ex Augusti tempore ludos edere praetorum erat. cf. Dio. Cass. 54. 2. cf. Becker et Marq. II. 3. p. 264 not. 1130, IV. p. 486. — [4]) cf. Sueton. Ner. 11. „Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decurrit." cf. Dion. Cass. 61. 17.

Cn. Domitio, Neronis patri, ipsi autem Salvius Otho, imperatoris pater, successit.[1])

Anno 792[2]) Galba Gaetulico, superioris Germaniae exercitus duci, substitutus est. Gaetulicus enim vir illustrissimus, qui jam decem annos superiori Germaniae praeerat, mirum quantum militum amorem modica severitate et effusa clementia non solum sui, sed inferioris quoque Germaniae exercitus sibi paraverat. Quum praeterea a rebus novis non alienus fuisse videretur, a Cajo Caesare, qui metu exagitabatur, occisus est.[3]) Galba autem, quem virum strenuum et in disciplina exercenda acerrimum esse inter omnes jam constabat, disciplinam militarem a Gaetulico neglectam statim severissime restituit. Quum igitur paulo post milites solemni spectaculo plaudentes eo inhibuisset, ut manus paenulis continere jussi essent, statim per castra jactatum est: „Disce, miles, militare, Galba est, non Gaetulicus." Pari modo militibus licentiam commeatus petendi eripuit et assiduo opere frequentibusque exercitiis eos corroborare et ad bellum gerendum aptos reddere studuit. Neque ejus merita, quae de exercitu sibi comparaverat, imperator Cajus ignoravit. Quum enim ille eodem anno in Galliam venisset, et undique copias, quasi Germanis bellum illaturus esset, contraxisset, Galbae milites optimum testimonium summaque inter omnes praemia retulerunt.[4]) Cajo haud ita multo post interfecto multi Galbam, ut imperio potiretur, frustra incitaverunt; quibus quidem quietem praeferens obstinate restitit.

Sed eodem anno (794) Chattos, qui rursus in Galliam proruperant, fugavit et trans Rhenum repulit.[5]) Quibus rebus Claudii gratiam tantopere sibi peperit, ut paulo post revocatus in ejus amicorum numerum reciperetur. Quo in honore Claudius eum

---

[1]) cf. Plutarch. G. 3. Tac. ann. VI. 15. Suet. G. 6. Dion. Cass. 58. 20. Clinton. F. R. p. 18. — [2]) cf. Dion. Cass. 59. 22. — [3]) cf. Tac. ann. VI. 30. Dion. Cass. 59. 22. Sueton. Claud. 9. Galb. 6. — [4]) cf. Sueton. Galb. 6. Calig. 43. Dion. Cass. 59. 21. Aur. Victor. ep. VI. — [5]) cf. Dion. Cass. 60. 8. Sueton. G. 6. Plut. G. 3. Tacit. hist. I. 49. Clinton. F. R. I. 26. Wietersheim. I. 2. p. 307. De rapinis Germanorum, quae in haec tempora incidunt, cf. Tacit. ann. XII. 27. Inveniuntur quoque nummi ad annum 794, qui „De Germanis" inscripti arcum triumphalem ostendunt, et ad has fortasse victorias pertinent. cf. Mediob. p. 81.

habuerit, ex ea re intelligas, illum propter levem Galbae morbum, expeditionis, quam facere voluit in Britanniam, diem etiam distulisse.[1])

Jam summa florebat Galba auctoritate atque gloria et ad gerendas res gravissimas prae omnibus aptissimus esse videbatur. Quum enim Africa barbarorum tumultu maxime turbaretur, (anno 798),[2]) nemo ad pacem restituendam Galba aptior visus est, ita ut etiam extra sortem proconsul[3]) eligeretur. Quam quidem provinciam quum magna severitate tum multa justitia etiam in rebus parvulis usus sic ordinavit, ut quam optime de ea meritus sit.[4]) Quum per duos annos huic praefuisset, Claudius eum revocavit et ob res quum in Germania tum in Africa egregie gestas amplissimis affecit honoribus. Nam praeter ornamenta triumphalia[5]) triplex accepit sacerdotium quum inter Quindecimviros[6]) Titios[7]), Augustales[8]) sodales cooptaretur.

Quum non ita multo post Claudio interempto Nero rerum potitus esset et mox omnibus bonis sese infestum praestaret, Galba, quamquam in secessu aetatem degebat, tanto metu suspensus erat, ut, quotiescumque egrediebatur, semper decies sestertium in auro secum efferret. Tali modo quattuordecim annos a negotiis publicis remotus vixit, donec (814) Fundis forte moranti Hispania Tarraconensis[9]) oblata est.[10]) Neque aliter ac cum modestia et sueta severitate, quae quidem interdum in saevitiam[11]) procedere videbatur, hac provincia primo tempore functus est. Infestissimum autem se praestitit procuratoribus,[12]) qui, quum tributa a Nerone postulata exigerent, terram quam acerbissime expilabant. Qua de causa incolae, quum Galbam etiam injurias iis illatas aegre ferre viderent, mirum quantum eum dilexerunt. — Majorem etiam multitudinis favorem sibi paravit, quod permisit, ut probrosa

[1]) cf. Sueton. Galb. 7. — [2]) cf. Pighii annal. III. p. 575. — [3]) cf. Walter. Röm. Rechtsgesch. I. §. 309. — [4]) cf. Tacit. hist. I. 49. Plutarch. G. 3. Sueton. G. 7. Nummum „Rest. Num." inscriptum illustrissimus Spanhemius „Restitutor Numidiae legit et ad Galbam Africa functum pertinere contendit. cf. Spanh. de usu et praest. numm. p. 828. Mediob. p. 100. — [5]) cf. Becker et Marq. III. 2. p. 452. — [6]) cf. Ibid. IV. p. 294—345. — [7]) cf. Ibid. IV. p. 147. — [8]) cf. Ibid, IV. p. 423—431. — [9]) Ibid. III. 1. p. 82—84. — [10]) cf. Sueton. G. 8. Plut. G. 3. Tacit. hist. I. 49. Clint. F. R. I. p. 42. — [11]) cf. Sueton. G. 9. — [12]) Becker et M. III. 1. p. 299—302.

quaedam carmina in Neronem composita cantarent vulgarentque invitis procuratoribus. Accedit, quod severitas, qua antea usus erat, in segnitiem desidiamque se convertit, quod, ut dicebat, „nemo rationem otii sui reddere cogeretur.“[1])

V.

Galba a Nerone deficit.

Dum Galba tali modo jam octo annos provinciae praeest et Carthagine nova forte conventum agit, per legatum Aquitaniae auxilia petentem comperit, Gallos Vindice auctore seditionem fecisse. Sed eodem fere tempore Vindex litteris missis ut tumultum adjuvans „humano generi[2]) assertorem ducemque se accommodaret,“ adhortatus est. Jam multo antea ille Galbam de suis consiliis certiorem factum ad suam sententiam perducere studuit, sed, nescio qua de causa, eum permovere non potuit. Neque minus tum quoque, etsi Vindex se centum milia armatorum ei adducturum esse promiserat, utrum ejus consilium sequeretur nec ne dubitavit. Nam inter spem[3]) et metum[4]) fluctuans rem postremo

---

[1]) cf. Plutarch. G. 4. Sueton. G. 9. — [2]) Huc etiam spectat nummus „Salus Generis Humani“ inscriptus. cf. Mediabarb. p. 99. Henry Cohen. Description historique des médailles impériales. Paris et London 1859. I. p. 225. No. 72. — [3]) Multa illa omina, quae Galbae jam puero facta imperium futurum portendisse dicuntur, enarrare longum est. cf. Sueton. Galb. 4. 8. 9. Dio. Cass. 64. 1. Neque tamen praesagium, quod ei praedixerunt Augustus et Tiberius praetermittere possum. Quum enim Augustus a Galba etiam puero quondam salutatus esset, haec verba „καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ“ dixisse dicitur. — Tiberius autem, quum teste Suetonio scientia Chaldaeorum Galbam tum consulem in senectute imperatorem esse futurum cognovisset: „Vivat sane, inquit, quando id ad nos nihil pertinet.“ cf. Suet. G. 4. Tacit. ann. VI. 20, Dio. Cass. 57. 19; 64. 1, Flav. Joseph. Antiq. 18, 6, 9, omnia illa praesagia soli Tiberio adscribunt. Recte autem Baumgarten-Crusius ad Sueton. l. c. mihi adnotasse videtur: „Videtur accuratissimus Suetonius, qui duplex, quod fama ferebat, praesagium et Augusti de puero et repetitum a Tiberio de viro et consule conjunxit, additis, quae singularia erant Tiberio.“

[4]) Galba enim mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat. cf. Sueton. Galb. 9. Aurel. Victor. Caes. 5. Quam rem Sievers

ad amicos detulit. Quum autem omnibus rebus circumspectis alius aliud ei suaderet, Titi Vinii oratione denique perductus, Vindici morem gerere[1]) statuit.

Quum igitur edicto certum diem indicasset, quo omnibus, qui cuperent, manumissionem esset concessurus, et permulti undique re jam patefacta convenissent, omnes una voce eum, ubi ascendit in tribunal, imperatorem salutaverunt. Neque vero nomen imperatoris accepit, sed legatum senatus populique Romani se professus est.[2]) Postquam deinde statum rerum, quem Nero adduxerat quam tristissimum, et occisorum nobilissimos deploravit, solam sibi curae fore affirmavit patriam.[3])

Quibus rebus factis Galba nihil antiquius habebat, quam ut copias, quae ex una legione, duabus alis, tribus cohortibus constabant, quam maxime amplificaret. Itaque ex sua provincia legionem[4]) et auxilia conscripsit, in alias autem provincias edic-

---

l. c. p. 33. temere in dubium vocare studet. cf. Henry Cohen. l. c. I. p. 232 No. 130. Quis enim est, qui dubitet, quin Nero per illos procuratores certior factus sit, incolas Galba annuente illa carmina probrosa cecinisse. Neque igitur mirum est, Neronem, qui ob res levissimas homines interfici jussit, ob eam rem de Galbae nece mandata misisse.

[1]) cf. Sueton. G. 9. Plutarch. G. 4. Apollonius Tyanensis, qui eo tempore in Hispania versatus est, Baeticae „ἐπιτροπεύοντα," ut Vindici socium se adjunxisset, conversatione adduxisse, dicitur. Sed quisnam fuerit ἐπιτροπεύων ille, incertum est. Quum autem Philostratus eum, qui Baeticae praeerat, Vindici „ὅμορον" fuisse dicat, eundemque postea non „ἐπιτροπεύοντα" sed „ἄρχοντα" nominet, haec omnia non ad Baeticam ejusque proconsulem, sed ad Galbam atque ejus provinciam Tarraconensem quadrant. Si praeterea omnia, quae a Philostrato de conversatione tradita sunt, diligenter consideras, Galba cum Apollonio collocutus esse videtur, cui sententiae etiam Tillemontius (I. p. 136) assentitur. Ceterum quum Philostratus in verbis utendis minime accuratus sit, res ea de causa maxime dubia est. cf. Philostr. vit. Apoll. V. 10. ed. Olearius. — De his provinciis cf. Ukert. Geographie der Griechen und Römer. II. p. 305—309. Becker et Marquardt. l. c. III. 1. p. 82—85; 294—298.

[2]) Si Dionem Cassium (64. 6) et Zonaram (XI. 14), qui Galbam novem menses et tredecim dies regnasse dicunt, sequimur, dies, quo legatum se professus est, in ante diem tertium Nonas Apriles incidit. — cf. Clinton. F. R. I. p. 50. Tillemont. I. p. 136. — [3]) cf. Sueton. Galb. 10. cf. Plutarch. Galb. 5.

[4]) Magna est dissensio inter viros doctos, utrum Nero an Galba legionem, cui postea nomen Adjutrici fuit, e classicis conscripserit. Nam Aschbach. et Grotefend. Galbam eam e classicis, quos Nero Rubrio Gallo duce contra eum

tum misit, ut seditionem, quantis quisque posset viribus, adjuvarent.

Ut autem haberet, cum quibus res maximi momenti deliberare posset, e primoribus provinciae senatum quodammodo sibi elegit, et ex ordine equestri, quibus confideretur corporis custodia, juvenes salvo dignitatis jure, qui evocati[1]) appellabantur, assumpsit. Forte quoque evenit, ut magna armorum copia, quibus ei opus erat, in manus ejus incideret. Nam navis quaedam Alexandrina, armis onusta, sine ullo nauta ad Dertosam[2]) appulit, quod omnes omen faustum[3]) acceperunt.

VI.

Quas res Nero seditione patefacta gesserit.

Nero dum in Graecia omnibus deliciis deditus versatur, per Helium libertum, quem ad imperium gerendum Romae reliquerat, de consiliis Vindicis certior factus est. Quum autem ejus litteris, quibus Romam revocaretur, non obsecutus esset, Helius ipse sep-

---

miserit conscripsisse contendunt, et Suetonii Galb. 10. atque Dion. Cass. 55, 24 testimoniis propositam suam sententiam praecipue firmare student. — Ritterus autem et Pfitzner. hanc legionem a Nerone paullo ante ejus mortem ex iis classicis conscriptam esse dicunt, quorum altera pars, quae signa et aquilam quoque flagitaverit, ad pontem Mulvium a Galba punita sit. Quum autem Pfitzner. legionem a Nerone conscriptam fortasse a Galba primum signa et aquilam accepisse concedat, haec sententia mihi probabilior esse videtur, quippe quum non repugnent Suetonius et Dio Cassius l. l. c. c. cf. Grotefend. Die Legion I Adjutrix von Galba nicht von Nero errichtet. Hannov. 1849. — Jahrbücher für Alterthumsfr. im Rheinl. XVII. p. 209—217. Pauly Realencyclop. IV. p. 869. Aschbach. Die römische Legionen prima u. secunda Adjutrix, Geschichte ihrer Entstehung, ihre Stationen. .. Wien 1856. Pfitzner. Excurs. ad Tacit. Histor. ed. Orelli. p. 79. Pfitzner in „Bergk und Caesar" Zeitschrift 1846 I. p. 14. Pfitzner in „Jahn's Jahrbücher für Philologie." LXXV. p. 727.

[1]) cf. Becker et Marquardt. l. c. III. 2. p. 264—297. Walter l. c. §. 339. — [2]) cf. Ukert. II. 1. p. 418. — [3]) cf. Sueton. G. 10. et Dion. Cassii 64. 1. — [4]) Scimus enim, Vindicem, antequam defecit, complures litteris missis, ut si-

tem diebus in Graeciam contendit et quid Vindex[4]) moliretur, ei nuntiavit. Quibus nuntiis maxime perterritus Nero, quamquam navigatio propter tempestates tum periculosa erat, statim Romam rediit.[1]) Sed quum senatus populusque Romanus eum honorificentissime excepissent, omnem metum temere abjecisse videtur. Nam suetis voluptatibus Romae ac praecique Neapoli iterum se dedit. Hoc quoque loco non ita multo post comperit, tumultum in Gallia duce Vindice erupisse, — et sine ulla animi perturbatione ipso die, quo matrem occiderat.[2]) Quin etiam, quasi opportunam spoliandae Galliae occasionem haberet, gavisus ne in videndo quidem spectaculo turbatus est.

Neque igitur Romam statim rediit, sed per octo dies ne mandata quidem cuiquam misit, quid faciendum esset. Contumeliosis denique Vindicis edictis maxime irritatus, epistola ad senatum data, absentiam suam ex raucedine, quasi tum quoque aliquid canendum fuisset, excusavit, simulque, ut se atque imperium ulciscerentur, adhortatus est. Romam postremo reversus rem minimi duxisse videtur, quum apud nonnullos e primoribus convocatos vix hujus rei mentionem faceret, sed quam artem de organis hydraulicis invenisset, multis verbis exposuit. Milites autem, quos ad bellum gerendum Albanis obviam miserat, ut reprimerent tumultum, admonuit, et decies sestertium se illi daturum esse

---

mul a Nerore desciscerent, adhortatum essc, et a nonnullis illas liiteras ad Neronem missas esse. Plut. 4. Duo praeterea auctores Neronem jam in Graecia Vindicis consilia cognovisse nobis affirmant. cf. Philostr. l. c. IV. 24. „σχεῖν δὲ λέγεται Νέρων τὴν τομὴν, οἱ μὲν . . . οἱ δὲ νεώτερα περὶ τῇ ἀρχῇ δείσαντα.“ — cf. Lucian. III., p. 641., ed. Jacobitz, Leipzig, 1839. . . ἡ δὲ τῶν Ἑσπερίων ἐθνῶν κίνησις ἀπήγαγεν Ἑλλάδος τε καὶ Ἰσθμοῦ Νέρωνα ψυχρῶς γεωμετρήσαντα , . .“ Si autem Dio Cassius 63. 19. Helium Neroni de conjuratione quadam Romae contra eum facta nuntiasse refert, mirum est, Neronem, neque Romae, quum eo pervenisset, quaestionem de conjuratis habuisse, neque ullos interfecisse, quod certe factum esset, si conjuratio Romae coorta esset. Optime quoque de hac re consentiunt Sueton. No. 40 et Dio Cassius 63. 26; nam in Graecia Nero Vindicis consilium, quod litteris vulgatum erat, Neapoli autem seditionem eruptam esse cognovit.

[1]) cf. Dion. Cass. 63, 19, 20. Sueton. Neron. 25. — [2]) Nero matrem suam occidisse videtur primo die Quinquatruum, quae in honorem Minervae ante diem XIV Calendas Apriles per quinque dies celebrabantur. cf. Suetonii Neron. c. 34 Tacit. annal. 14. 4. Becker et Marquardt. l. c. IV. p. 447.

promisit, qui caput Vindicis attulisset. Quod quum cognovisset Vindex, dixisse fertur:[1]) „*Ὁ Νέρωνα ἀποκτείνας τὴν τε κεφαλὴν αὐτοῦ κομίσας ἐμοὶ τὴν ἐμὴν ἀντιλήψεται.*

Vehementissime autem Nero permotus est nuntio, Galbam et Hispanias defecisse, ita ut de salute desperaturus esse videretur.[2]) Ubi autem animum sensim ex pavore restituit, Galbam bonis ejus publicatis per senatum hostem patriae judicari jussit, et ne ab amicis quidem ejus se abstinuit.[3]) Mox inter insanissima consilia fluctuabat; quae, quum effici non possent, paullo post omisit et ipse contra hostes proficisci constituit.[4]) Quam ob rem consules se consulatu abdicare coegit eundemque solus iniit. Sed quum delectum habere vellet et nemo fere responderet, certum servorum numerum a divitibus poposcit, et pecunias, quae opus erant, magna cum acerbitate exigere coepit.[5]) Quod consilium mox rejecit; alii duces autem, quos contra hostes mittere constituit, ad Galbam cum militibus transiisse dicuntur.[6])

VII.

Galbae res quomodo processerint.

Nuntio cognito primi se adjunxerunt Galbae Otho, qui praeerat Lusitaniae,[7]) et Caecina, Baeticae quaestor, qui proconsulis vice provinciam fortasse administrasse videtur et illa occasione usus ad Galbam transiit.[8]) Hispania enim Neroni valde infensa fuisse videtur, quo factum est, ut quum Galba ejus res in His-

---

[1]) cf. Dion. Cass. 63. 23. 26. Sueton. Neron. 40. 41. Tacit. Hist. I. 6. 70. — [2]) cf. Dion. Cass. 63, 27. Plutarch. Galb. 5. Sueton. Ner. c. 42. — [3]) cf. Sueton. Neron. c. 49. et Tacit. Histor. I. 72. — [4]) cf. Sueton. Neron. 43. Dion. Cassii 63. 27. Aurel. Victor. Caes. 5. Zonar. XI. 13. — [5]) cf. Sueton. Neron. 44. Tum quoque illam legionem, quae Adjutrix appellata est, ex classicis conscripsit. cf. Tacit. I. 6. — [6]) De illis vide infra. — [7]) cf. Tacit. Hist. I. 13. Sueton. Othon. 4. Plutarch. Galb. 20. — [8]) cf. Tacit. Hist. I. 53. Ex Suetonii (c. 42) verbis „Hispanias discivisse“ in aperto esse videtur, Caecinam non tam suum secutum arbitrium, quam cum ipsius provinciae incolis a Nerone defecisse. cf. Becker et Marquardt. III. 1. p. 284.

pania sitas venderet, „εὕρισκε πολλοὺς προθυμοτέρους ὠνητάς.“[1]) Pari modo duces, quos Nero contra Galbam misit, ut supra dixi, ad eum transiisse dicuntur.[2])

At Clodius Macer, qui Libyam administrabat et Virginius Rufus, qui exercitui superioris Germaniae praeerat, alter altera de causa permotus, Galbae obstiterunt. — Clodius Macer enim, qui propter avaritiam et crudelitatem provinciae incolas summis affecerat injuriis, Galbam autem virum et severissimum et justissimum cognitum habebat; metu, ne poenas daret, perterritus Neroni fidem servasse videtur.[3])

Virginius Rufus autem, vir praeclarissimus, neque ipse imperium, quod saepe ei oblatum erat a militibus, accipere voluit, neque cuiquam, ut rerum potiretur, invito senatu, permittendum esse putavit. Quum igitur de Vindicis consilio certior factus esset, statim, ut bellum ei inferret, exercitum in fines Sequanorum, qui una cum Aeduis in Vindicis partes transierant, perduxit.[4])

---

[1]) cf. Plutarch. Galb. 5.

[2]) cf Sueton. Ner. 47. Plutarch. Galb. 6. Dion. Cass. 63. 27. Praeter Rubrium Gallum, qui a Zonara (XI. 13.) cum Petronio fortasse confunditur, et a Joanne Antiocheno l. c. frg. IV. p. 575. §. 91, Rufus Gallus vocatur, alium etiam ducem cum copiis ad Galbam transiisse non constat. Petronius enim, quem Zonaras l. c. ad Galbam cum exercitu defecisse contendit, paulo post tamquam dux Neronis a Galba interfectus est, (cf. Tacit. hist. I. 6. Plutarch. G. 15.) quod cum Zonarae sententia non convenit. cf. Tillemont. I. p. 137. — Rubrius Gallus autem postea bello inter Othonem atque Vitellium gesto saepius memoratur. cf. Tacit. hist. II. 51. 99. Flav. Joseph. bell. Jud. VII. 4. §. 3. — Etiam Virginium Rufum superioris Germaniae exercitus ducem, a Nerone defecisse refert Dio Cass. 63. 27. Rufus autem exercitum suum tum primum Galbae tradidit, quum senatus consultum cognovisset, quae res a Dione Cassio l. c. confunditur. — Praeterea etiam octo cohortes Batavorum a se „ablatam Neroni Italiam atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam“ esse jactaverunt. cf. Tacit. hist. II. 27. Quid tamen gesserint, omnino incertum est. Ceterum omnia fere, quae auctores de exercitibus, qui Neronem deseruisse dicuntur, referunt, maxime dubia atque obscura sunt, ita ut Tacitus (hist. I. 90.) recte „Neronem nuntiis magis et rumoribus, quam armis depulsum“ esse contendat.

[3]) cf. Plutarch. Galb. 6. Pauly. Realencyclop. II. 463. — [4]) cf. Plutarch. Galb. 6. Dion. Cass. 63. 24. 25. Inferioris Germaniae exercitum Virginio Rufo contra Vindicem se adjunxisse certum non est, quamquam e Taciti (hist. I. 51, 52.) verbis elucere videtur. cf. Tillemont. I. p. 137 et Sievers. p. 35. Batavo-

2

Vindex, cui in provincia quidem non erat exercitus, nihilominus e Gallis magnas copias collegerat. Illo cum exercitu, cui praeerant Asiaticus, Flavius, Rufinus (cf. Tacit. hist. II, 94), quum Vesontionem, urbem Sequanorum, a Rufo obsideri comperisset, ad auxilium ferendum eo contendit, nec procul ab urbe castra posuit.[1]) Ibi Rufus et Vindex primum inter se litteris missis arbitris remotis in colloquium venerunt, et contra Neronem conjurasse dicantur.

Sed quum Vindex, ut videtur ex composito, ad occupandam urbem se pararet, Rufi milites, qui, quum ignari essent pacti, se peti putabant ab hostibus, injussi in eos impetum fecerunt. Galli autem hoc inopinato impetu confusi, magnam acceperunt cladem et viginti milia eorum occisa sunt. Quibus rebus perturbatus Vindex in gladium incubuit. Rufus autem, qui mortem Vindicis vehementissime lugebat, imperium, quod denuo ei obtulerunt milites, tum quoque accipere noluit.[2])

Etiam in ipsius Galbae exercitu alienatio militum exorta est. Alarum enim altera, dolore quodammodo mutati sacramenti commota,[3]) eum deserere conata est et vix in officio retineri potuit. Sed in summum vitae periculum adductus est Galba per servos quosdam, qui a liberto Neronis corrupti eum interfecissent, nisi consilia sua incaute prodidissent.[4])

Quibus rebus Galbae, quem usque ad id tempus fortuna adjuverat, omnis spes erepta esse videbatur, ita ut jam in eo esset, ut sibi ipse manus inferret. Ubi vero paulum animum erexit, litteris missis Virginium Rufum, ut senatus populique Romani servaret imperium atque libertatem, adhortatus est. Deinde cum amicis suis Cluniam se contulit neque quidquam magni momenti fecit. Nam non solum suscepti imperii eum poenituit, verum etiam, ubi,

---

rum autem equites proelio ad Vesontionem interfuisse constat. Tacit. hist. IV. 17. Praeterea autem Virginii Rufi rebus favebant Treviri, Lingones, colonia Lugdunensis, ea pars Galliae, quae Rhenum accolit. cf. Tacit. hist. I. 51. 53

[1]) cf. Tacit. hist. I. 16. II. 94. Plutarch. Galb. 4. — [2]) cf. Dio Cass. 63. 24, 25. Plutarch. G. 6. Zonar. XI. 13. Joan. Antioch. l. c. IV. p. 575. §. 91. Hoeck. Röm. Geschichte I. 3. p. 903. — [3]) Hae copiae a Neronis procuratoribus vel libertis contra Galbam excitatae esse videntur, quum ejusmodi hominum maxime interesset, Galbam, quem infestissimum sibi cognitum habebant, non fieri imperatorem. — [4]) cf. Sueton. Galb. 10.

quantum suscepisset laborem, cognovit, desiderio suetae quietis maxime commotus est.

Dum tali modo incertus, quid faciat, Cluniae versatur, sub vesperum necopinatus libertus Icelus Roma veniens enunciavit, eum a senatu populoque Romano imperatorem esse electum; Neronem enim manus sibi intulisse.[1])

Quamquam Galba et omnes, qui ei favebant, summa cum laetitia hunc nuntium exceperunt, celeritas tamen septem dierum, quos in itinere ex Italia in Hispaniam facto se consumpsisse dicebat Icelus, magnam dubitationem iis attulit. Sed jam post biduum etiam Titus Vinius aliique ex praetorianorum castris venerunt, qui nuntium allatum non solum affirmaverunt, sed etiam retulerunt senatus consultum. — Icelus autem aureis annulis donatus equestre nomen Marcianum accepit et inter omnes Galbae libertos summum semper locum obtinuit.

Tum quoque Galba legati nomine deposito Caesaris appellationem accepit atque iter Romam facere instituit.[2])

VIII.

Nerone mortuo Galba a senatu imperator creatur.

Quantum Nero consiliis captis omnium odium in se conflavisset, jam enarravimus. Hac autem dubitatione maxime sibi ipse nocuit, quod ortae seditioni tempus dedit in dies crescendi. Sed Romae quoque Neronis res brevi deteriores factae sunt. Accedit, quod urbs annonae caritate premebatur et navi denique Alexan-

---

[1]) Quum Nero IX. d. mensis Jun. extingueretur, Icelus autem septem diebus iter conficeret, Galba circiter diem XVI vel XVII mensis Junii nuntium, se imperatorem esse creatum, acceperit necesse est. Postquam autem post biduum Titus Vinius nuntium allatum affirmavit, Galba circiter diem XIII a. Calendas Julias Caesarem se appellavit. Zonaras autem (XI. 13.) Galbam neque appellationem Caesaris assumpsisse neque imperatoris nomen in ullis litteris usurpavisse contendit, priusquam legati senatus ad eum venissent, quod cum nummis in Hispania cusis, qui Suetonii auctoritatem affirmant, minime convenit. cf. Clinton. F. R. I. p. 51, 53. Henry Cohen. l. c. I. p. 232, n. 130.

[2]) cf. Plutarch. Galb. c. 7. Sueton. Galb. 11. Tacit. hist. I. 13. Tillemont. I. p. 138.

drina ad Ostiae portum appulsa, non frumentum, sed pulverem luctatoribus aulicis advehi nunciabatur. — Quibus rebus populus qui usque ad id tempus quietus fuerat, incitatus quoque modo indignationem ostendebat.[1])

Simul Nero maxime pertemrebatur rumoribus,[2]) duces praemissos ad Galbam transiisse, ita ut, quid sibi faciendum esset, omnino nesciret. Postremo in Aegyptum, quo jam Germanica vexilla[3]) praemiserat, effugere constituit. Classe autem Ostiae per fidissimos libertos comparata, tribunos centurionesque praetorianorum frustra, ut secum fugerent, adhortatus est. Quum igitur in diem posterum distulisset cogitationem, subito media nocte excitatus stationem militum excessisse cognovit.[4]) Praetorianos enim Nymphidius Sabinus alter praefectus, Neronem clam Alexandriam fugisse dictitans, Galbae magno donativo[5]) promisso conciliaverat.[6])

Nero autem, quum praetorianos quoque se deseruisse cognovisset, Romae se non diutius in tuto versari videbat et in villam, quam Phaon libertus ei obtulerat, se contulit. Vix autem tectum ejus intravit, quum equites a senatu missi eum comprehendere voluerunt, ut majorum[7]) more puniretur. Quod quum audivisset Nero, adjuvante Epaphrodito sese interfecit[8]) tricesimo altero aetatis anno, postquam tredecim fere annos septemque menses imperium gessit.

---

[1]) cf. Sueton. Ner. 45. — [2]) cf. Tacit. hist. I. 89. — [3]) cf. Tacit. hist. I. 31. — [4]) cf. Sueton. N. 47. Dion. Cass. 63. 27. Vespere aut nocte (VIII. d. mens. Jun.) priusquam Nero Romam reliquit, senatus cum statione revocata patriae hostem judicavit, Galbam loco ejus imperatorem creavit. Zonar. XI. 13. Sievers l. c. p. 41. — [5]) cf. Plutarch. G. 2. Sievers. l. c. p. 43. — [6]) cf. Plutarch. l. c.

[7]) cf. Eutrop. VII. 15. „Quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus furca capiti ejus inserta virgis usque ad mortem caederetur atque ita pracipitaretur de saxo."

[8]) cf. Sueton. Ner. 48. 49. Dion. Cass. 63. 27—29. Zonar. XI. 13. Eutrop. VII. 15. Hoeck Römische Gesch. I. 3. p. 403—408. Nero interiit IX. d. mens. Jun. a. u. c. 821. cf. Norissii op. omn. II. p. 55. Sievers. p. 41. Clinton. I. p. 52. Rudorff. (Rh. Mus.) II. p. 68. Antequam autem Neronem illum foedissimum tyrannum missum facio, Ludenii verba praetermittere non possum: (Gesch. der Völker und Staaten des Alterth. Wien 1817. II. p. 194) „daß Nero nicht schlechter war als Rom, und daß Rom sich nicht über ihn zu beschweren hatte."

Nuntio mortis divulgato mirum quanta inde coorta est populi laetitia, ita ut coronis urbem impleret et etiam plebs, tanquam in libertatem esset asserta, pileis induta tota urbe discurreret.[1]) Neque minus laetatus erat senatus, qui, postquam omnia, quae imperatorem decent, Galbae decrevit, libertatem priorem, ut erga principem novum et absentem, licentius usurpavit.[2]) Icelus autem, Galbae libertus, vinculis, in quae paulo ante Neronis jussu dejectus erat, exsolutus, ut corpus Neronis cremaretur, permisit.[3])

IX.

Quas res Galba gesserit in itinere, quod Romam fecit.

Tum quoque maximum metum Galbae injecit Virginius Rufus, quem, ut acciperet imperium, milites in dies fatigabant. Quin etiam legiones Illyricae,[4]) quas Nero contra Vindicem revocaverat, per legatos Rufum adierant. Hic vero semper sibi constabat imperiumque obstinatissime denegavit.[5]) Ubi vero senatus consultum cognovit et Fabius Valens legatus legionem suam jam Galbae jurejurando obligaverat, milites suos, ut eodem modo ei sacramentum dicerent, cum multo quidem labore commovere studuit. Cum deinde Flacco Hordeonio, quem Galba ad eum miserat, exercitum tradidisset, ad salutandum ei ipsi obviam profectus est. Galba autem aequo animo eum excepit et, quamvis eum aestimaret, tamen neque laudes neque honores, quae digna erant fide senatui atque ei ipsi praestita, attribuit. Hoc enim Titus Vinius ei suaserat, qui invidia permotus Rufum, virum optimum, a Galba retinere studuit.[6])

Quo facto Galba res civitatum, quae in Hispania atque Gallia sitae erant, constituit. Ut enim quaeque urbs vel civitas rebus ejus aut secunda aut adversa fuerat, ita quamque aut muneravit

---

[1]) cf. Sueton. Ner. 57. Dion. Cass. 63. 29. Aurel. Victor. ep. 5. Zonar. XI. 13. Tacit. hist. I. 4. — [2]) cf. Zonar. XI. 13. — [3]) cf. Sueton. Neron. 49. — [4]) cf. Tacit. hist. I. 9. — [5]) cf. Dion. Cass. 63, 25. — [6]) cf. Plutarch. G. 10. Dion. Cass. 64.4. Zonar. XI. 14. De Rufo cf. Plinii ep. VI. 10. IX. 19. II. 1.

aut punivit. Itaque quibusdam Hispaniae civitatibus, quae cunctantius ejus partes secutae erant, graviora tributa imposuit, alias destruendis moenibus punivit.[1]) In Gallia autem Lingones et Treviros, qui seditioni Vindicis adversi fuerant et Rufi copias adjuverant, damno finium affecit.[2]) Lugdunensium autem, qui Neroni fidem servaverant,[3]) reditus in fiscum vertit.[4])

Sed qui in Vindicis partes statim transierant, hos eodem modo amplissime muneravit. Aeduis, Sequanis, Viennensibus, aliis Galliae civitatibus non solum quartam tributorum partem remisit, verum etiam civitate Romana eos donavit.[5])

Gravissimum autem supplicium de procuratoribus praefectisque Galba sumpsit, quos ob rapinas[6]) in provinciis factas una cum conjugibus atque liberis interfici jussit.[7]) Neque hoc mirum, quum jam paulo ante mandata a Nerone de caede sua missa apud eos deprehendisset.[8])

Quum tali modo Narbonem[9]) venisset, incidit in legatos a senatu ad eum salutandum missos, qui, ut quam celerrime Romam veniret populoque se ostenderet, eum rogaverunt. [Jam antea consules[10]) senatus consultum, quo imperator creatus erat, per servos publicos ad eum detulerant.] Quos benignissime Galba excepit atque cum iis collocutus est. Maxime tamen legatis placuit, ut pretiosos illos apparatus, quos a Nerone relictos Nymphidius ei miserat, negligens in convivio, ad quos legatos invitavit, omni lautitia omissa suis ipsius rebus uteretur. — Attamen paulo post Vinio auctore ab antiqua illa simplicitate destitit, et si qui excipiebantur, illis Neronis rebus usus est.[11])

---

[1]) cf. Sueton. Galb. 12. — [2]) cf. Tacit. hist. I. 53. 54. — [3]) cf. Tacit. hist. I. 51. — [4]) cf. Tacit. hist. I. 65. — [5]) cf. Tacit. hist. I. 8. 51. 65. — [6]) Plutarch. Galb. 4.

[7]) cf. Sueton. Galb. 12. Utrum Obultronius Sabinus, Cornelius Marcellus, Betuus Chilo, quos Taciti (hist. I. 37.) a Galba in Hispania Galliaque interfectos esse contendit, illi procuratores et praefecti fuerint, necne, non constat. Neque vero affirmaverim, quod Suetonius (Galb. 23.) enarrat, Galbam ex Hispania percussores in Judaeam submisisse, qui Vespasianum interimerent, quod mihi cum Galbae ingenio minus convenire videtur. —

[8]) cf. Sueton. G. 9. Aurel. Victor. Caes. 5. — [9]) Provinciae Narbonensi Galba duos populos inalpinos Avonticos atque Bodionticos, quorum oppidum Dinia erat, adjecit, cf. Plin. hist. nat. III. c. 19. (ed. Sillig.) Ukert. II. 2. p. 450. — [10]) cf. Plutarch. Galb. 8. — [11]) cf. Plutarch. Galb. 11.

Dum tali modo Galbae omnia prospere evenire videntur, Romae novum exortum erat periculum, quo paene, priusquam urbem assecutus esset, imperium ei ereptum est. — Praetorianorum enim praefecturam tum Nymphidius Sabinus et Sofonius Tigellinus obtinebant; quorum alter Nymphidius, quum res Neronis afflictas esse animadverteret, praetorianos dono promisso Galbae conciliaverat. Quo quidem donativo praetorianos sibi ipsi fecit benevolos, Galbam autem, qui donum nomine suo promissum vix solvere poterat, in summum vocavit periculum.[1]) Nymphidius autem, quo facilius consilia sua assequeretur, Tigellinum, alterum praefectum, coegit, ut praefectura se abdicaret. Nihil enim aliud spectabat, quam ut Galbae, quem jam senem atque liberis orbatum esse sciebat, aut succederet aut hac spe falsa alio quodam modo imperium sibi pararet. Quamquam igitur tum omnia Galbae nomine faciebat, potestaten tamen, quam sibi paraverat, in dies firmare studuit; neque minus senatus auctoritatem ejus auxit. Nam senatus non solum Nymphidium optime de se meritum esse publice declaravit, sed etiam quidquid ille ad eum retulit, semper ratum esse jussit. Populo autem gratus erat, quod Neronis socios crudelissime interire siverat. — Non invitus quoque se Caji filium vocari passus est, ut successio, quam exspectabat, legitima videretur.[2])

Haec dum geruntur, Gellianum quendam, familiarissimum ad exploranda omnia ad Galbam misit. Per quem quum cognovisset, Cornelium Laconem praetorianorum praefectum esse factum, T. Vinium autem multum apud Galbam valere frustraque illos loco demovere conatus esset, Galba prius rerum potiri constituit. Ad hoc consilium capiendum maxime eum incitavit Mithridates Ponticus, quamquam Clodius Celsus ei adversus erat. Attamen Antonius Honoratus, primus tribunorum, quum illud consilium cognovisset, vespere facto milites suos convocat acerrimisque verbis, quam turpis sit proditio, exponit. Tali oratione commoti omnes ei assensi sunt et aliorum quoque animi iterum Galbae reconciliantur. — Quum igitur media nocte ingens clamor, nescio quo casu, oriretur, Nymphidius, sive milites se imperatorem jam sa-

[1]) cf. Plutarch. Galb. 2. — [2]) cf. Plutarch. Galb. 8—10. Tacit. hist. I. 5. Sueton. Galb. 11.

lutare putavit, sive tumultuantium militum reprimere voluit, cum amicis ad castra ire contendit. Ubi vero portas clausas et muros armatis firmatos esse vidit, perturbatus, quid vellent, eos interrogavit atque omnes una voce Galbam esse imperatorem reclamarunt. Deinde Nymphidium, quum metu perterritus assentiretur, cum paucis in castra receperunt. Vix autem ingressum omnes strictis gladiis aggrediuntur, et quum in tabernaculum militis cujusdam fugere vellet, occidunt.[1])

Galba hujus rei certior factus Nymphidii socios interfici jussit.[2]) Sed quamvis illi omnibus merito poenas dare viderentur, tamen quod causa non cognita interierant, plurimi aegre tulerunt. — Eodem fere tempore Petronius Turpilianus, cui quidem nihil nisi fides Neroni servata crimini dari poterat, causa indicta capite damnatus est.[3])

Quam populi indignationem Galba his caedibus jam sibi conflaverat, maxime etiam auxit poena, qua affecit classiarios. — Quum enim ad pontem Mulvium, quingenta quinque stadia ab urbe distantem, venisset, classiarii, quos Nero justos milites reddiderat, signa et aquilam flagitantes ei obviam venerunt. Qui quidem, quum Galba iis statim morem non gereret, differendo negari putantes, magno cum strepitu atque tumultu eum prosecuti sunt nonnullique gladios etiam stringere audebant. Tum autem Galba non diutius cunctatus est et equitibus, quos secum duxit, immissis permulti eorum interfecti sunt; reliquos decimari[4]) et in custodiam dari jussit.[5])

[1]) Plutarch. G. 13—15. Tacit. hist. l. c. Tillemont. I. 47. Sievers. p. 43, 48. [2]) Plutarch. Galb. 15. 16. Tacit. hist. I. 6. 37. Sievers. l. c. p. 48. n. 2. — [3]) Plutarch. Galb. 15, 17. Tacit. hist. I. 6. 37. — [4]) Tacit. hist. I. 37. Dion. Cass. 63. 3. Sueton. G. 12. Sievers. p. 49. n. 2. hoc facinus in dubium vocare videtur, quum Tacitus idem non memoret.

[5]) Plutarch G. 15. Tacit. hist. I. 6, 37, 87. Dio. Cass. 64. 3. Sueton. Galb. 12. — Si Dio Cassius l. c. classiarios illos „δορυφόρους“ i. e. praetorianos nominat, fallitur, quod jam Reimarus ad l. c. ostendit. Nonnulli autem numerum septem millium, quos ab equitibus caesos esse Dio. Cass. refert, in quatuor millia, quin alii in quadringenta mutandum esse putaverunt, quae quidem conjecturae omnino rejiciendae mihi videntur. Nam Tacitus, qui l. l. c. c. „tot millia“ interfecta esse dicit, numerum illum a Dione Cassio allatum affirmare videtur. cf. Sievers. p. 49. n. 1.

Quod atrox facinus, quamquam causa aderat gravissima, omnium tamen animos ei abalienavit, praesertim quum paulo post caedes Clodii Macri et Fonteji Capitonis nunciarentur. — Clodius Macer enim Nerone mortuo ad Galbam non transierat, sed copiis, quas habebat, nova etiam legione auctis ad resistendum se paraverat.[1]) Quam ob rem quo facilius Romam sub suam potestatem redigeret, frumentum retinere et urbem fame pressam contra Galbam incitare constituisse videtur. Ad quod consilium capiendum maxime eum impulit Galvia Crispinilla, famosa illa mulier et magistra Neronis libidinum, quae illo mortuo ad Clodium Macrum confugerat.[2]) — Galba autem per procuratorem Trebonium Garucianum eum interficiendum curavit.[3]) — Fontejus Capito inferioris Germaniae exercitum obtinebat et jam multo ante animum seditiosum ostenderat.[4]) Quum autem in eo esset, ut seditionem faceret, a legatis Cornelio Aquino et Fabio Valente injussu quidem Galbae oppressus est.[5])

Quibus rebus Galbae iter maxime tardatum esse apertum est. Accedit, quod urbes ubique summis eum affecerunt honoribus; praeterea magnas copias Romam secum duxit, (cf. Sueton. G. 18 Tacit. hist. I. 6) ita, ut eum initio mensis Octobris demum Romam venisse minime mirum sit.[6])

X.

Rerum status qualis tum Romae et in provinciis fuerit.

Quantopere Neronis morte omnes fere laetati essent atque Galbam exspectarent, qui unus omnium maxime florebat majorum

[1]) cf. Tacit. hist. II. 97. I. 7. De legione, quam conscripserat. cf. Henry Cohen. l. c. p. 216, 217. n. 2 et 8. Mediobarb. p. 98. — [2]) cf. Tacit. hist. I. 73. Plutarch. Galb. 13. — [3]) cf. Tacit. hist. I. 7. Sueton. Galb. 11. Plutarch. Galb. 15. — [4]) cf. Dion. Cass. 64. 12. — [5]) cf. Tacit. hist. I. 7. 52. 58. Plutarch. Galb. 15. Sueton. Galb. 11. De tempore, quo hoc factum sit cf. Tillemont. l. c. I. p. 15. n. 6. cf. Sievers. l. c. p. 47. n. 2.

[6]) cf. Orellii inscript. No. 788, quam injuria Sievers. p. 47. 2. spuriam esse censet.

gloria, modestia, summa justitia, jam supra diximus. Quod quidem gaudium ipse Galba multis illis, quas necessitate quidem coactus paulo ante perpetraverat, caedibus, in odium atque horrorem convertit. Neque minus insolita copiarum multitudine, quae tum urbem obtinebat, omnium animi perturbati sunt.[1])

Primo jam spectaculo, cui Galba Romae interfuit, quomodo populus de eo cogitaret, satis apparuit. Postquam enim Atellani initium illius carminis, quo sordidus villicus significabatur, exorsi sunt, omnes spectatores illud ad Galbam retulerunt et voce consentientes reliquam ejus partem saepius repetiverunt.[2])

Praecipue autem milites indignabantur, quod non solvebat donativum Galba sed „se legere milites, non emere consuesse" dicebat.[3]) Praeter hanc communem omnibus abalienandi causam singuli etiam militum ordines multa habebant, ut eum aut odissent aut timerent.

Praetoriani enim in summo versabantur metu, quum plerosque eorum, qui Nymphidii socii suspecti erant, clam removeri viderent.[4]) — Legio classica a Nerone conscripta, quae Romae remanserat,[5]) ob caedem illam commilitonum ad pontem Mulvium commissam Galbae infestissima erat, qui ob eam rem huic maxime diffidebat.[6]) — Earum quoque, quas ex Hispania secum duxerat, benevolentiam illa inermium militum caede amisisse videtur.[7]) — Accedit, quod imperatoris aetas corporisque forma Romanis ad juvenem principem assuetis mox fastidio irrisuique erat et indignationem populi militumque maxime auxit.[8]) — Quae quum ita essent, Galbae imperium breve futurum esse facile intelligi poterat. — Restat, ut videamus, qualis fuerit eo tempore in provinciis rerum conditio. —

Clodio interfecto omnes provincias Galbae paruisse certum est.[9]) — Hispaniae autem his temporibus praeerat Cluvius Rufus, vir satis quidem eloquentiae, rei militaris autem minime peritus

---

[1]) cf. Tacit. hist. I. 4. 6. — [2]) cf. Suet. G. 13. et adnot. Baumgarten-Crusii in hunc loc. — [3]) cf. Suet. G. 16. Plutarch. G. 18. Dio. Cass. 64. 3. Tacit. hist. I. 5. — [4]) cf. Suet. G. 16. — [5]) cf. Tacit. hist. I. 6. — [6]) cf. Tacit. hist. I. 31. 36. — [7]) cf. Tacit. hist. I. 6. — [8]) cf. Tacit. hist. I. 7. — [9]) Huc spectant nummi: „Concordia provinciarum" „Fides militum" inscripti. cf. Henry Cohen. l. c. p. 220. n. 12. p. 221. n. 23. Mediobarb. p. 99.

neque alienus, ut videtur, a rebus novis.[1]) Complures civitates, quae Galbae defectioni non faverant, hanc ob rem poenis gravissimis erant affectae, ita ut occasionem deficiendi cupidissime exspectarent.

Exercitus Germaniciani satis jam irati ob negatum donativum, praeterea perpetuo ab illis incitabantur, qui eadem de causa, quum civitatum poena sibi ipsis injuriam factam esse putarent, iniquius Galbae imperium ferebant.[2]) — Quorum exercituum Capitone occiso inferiori praeerat Vitellius, cui Vinio auctore Galba summam imperii tradiderat, quasi hic vir de victu solo cogitans minime metuendus esset.[3]) Superiorem autem exercitum ducebat legatus Hordeonius Flaccus, quem virum non solum omnis constantia atque auctoritas deficiebat, verum etiam corporis forma atque vires, quum senectute ac pedum debilitate prope invalidus esset, ita ut ad cohibendum illum exercitum nequaquam aptus esset. Hic enim exercitus, quem praecipue Galli excitabant, ob revocatum Virginium Rufum negatumque donativum promissum Galbae iniquissimum se praestitit.[4])

Legiones Britanniam atque Illyriam obtinentes quietae erant, quamquam antea Nerone etiam vivo Virginium Rufum legationibus adierant.[5]) —

Ab his motibus, qui occidentem vexabant, Oriens omnino liber erat. Syriae quatuor legiones Licinio Muciano duce praesidio erant. Qui vir bonis malisque artibus juxta famosus apud exercitum multum valebat, ita ut imperium in summum discrimen vocare posset.[6]) — Bellum Judaicum cum tribus legionibus Flavius Vespasianus gerebat, qui, ubi Galbam imperatorem creatum esse audivit, Titum filium ei obviam misit, qui salutaret ejusque mandata de bello gerendo acciperet. Simul cum Tito etiam Agrippa, Judaeorum rex, salutandi causa ad Galbam profectus est.[7])

Mauretaniae Caesariensi, quacum Galba provinciam Tingetanam conjunxit, cum multis copiis praeerat Luccejus Albinus, qui

---

[1]) cf. Tacit. h. I. 8. IV. 43. II. 65. — [2]) cf. Tacit. hist. I. 8, 51, 53. Plutarch. G. 22. — [3]) cf. Sueton. Vit. 7. Tacit. hist. I. 9. — [4]) cf. Tacit. h. I. 8, 9. Dio. Cass. 64. 4. — [5]) cf. Tacit. hist. I. 9. — [6]) cf. Tacit. hist. I. 10. — [7]) cf. Tacit. hist. I. 10. Flav. Jos. Ant. IV. 2. §. 9. Utrum Vespasianus tum quoque Galbam sibi insidias parare putaverit, necne, non constat; equidem non puto, quum filium ad Galbam mitteret.

Galba occiso pronus in Othonis partes transiit.[1]) — Aegyptum eo tempore regebat Tiberius Alexander, ordine quidem eques Romanus, natione autem Aegyptus. Quum enim illa provincia frumenti fertilissima aditu autem difficilis parvo praesidio ab ingenti exercitu defendi posset, Augustus per equitem Romanum eam administrandam curavit. Nam a consularibus eam administrari periculosum videbatur, quapropter eo inscio nemini intrare[2]) licebat. — Africa Clodio interfecto copiisque demissis quieta erat.[3]) — Alias provincias per procuratores administratas praetermittamus, quum, ut quaeque majori cuidam exercitui vicina erat, ita favore aut odio ageretur.[4])

XI.

De Galbae amicis libertisque.

Quantopere ubique fere sive odio atque indignatione sive aliis causis omnium animi contra Galbam excitati essent, supra memoravi. Neque igitur occasione data tumultum erumpere mirum erat. Multum autem ad accelerandam illam occasionem contulerunt Galbae illi amici, qui paedagogi ejus vocabantur; quorum quidem arbitrio in omnibus fere rebus commovebatur. Qua de causa de illis viris, quid nobis traditum sit, accuratius disserere hoc loco non alienum esse putavi.

Primum inter eos locum obtinuit teste Tacito Titus Vinius, deterrimus mortalium.[5]) Qui quidem pecuniae cupiditate inexplebilis erat, libidine jam ab adolescentia infamis, praeterea „audax, callidus, promptus et prout animum intendisset, pravus aut industrius eadem vi."[6]) Etiam juvenis Calvisii Sabini, cujus sub imperio prima stipendia meruit, uxorem castra visendi cupidam, nocte in castra duxit atque in ipsis principiis stupravit; cujus criminis convictus a Cajo Caesare in custodiam datus est. Imperatore Claudio vinculis exsolutus honoribus deinceps functus est,

[1]) cf. Tacit. H. II. 58. — [2]) Tacit. Ann. II. 59. H. I. 11. Rudorff. Rö. Staf. II. p. 71. — [3]) Tacit. H. I. 11. — [4]) cf. Tacit. H. I. 11. Sievers. p. 31.
[5]) cf. Tacit. H. I. 6. — [6]) cf. Tacit. H. 48.

et post praeturam legioni cuidam praefuit. — Quum quondam coenasset apud Claudium, aureum scyphum furatus est. Quod quum cognovisset Claudius, postero die iterum coenae eum adhibuit eique soli omnium fictilibus ministrari jussit. Haud ita multo post, quum proconsul Galliam Narbonensem severe atque integre administrasset, a Galba, qui Hispaniae Tarraconensi praeerat, legatus legioni sextae[1]) praepositus est. — Quum postea Galba Vindice imperium offerente dubitaret, utrum obsequeretur an seditionis exitum exspectaret, Vinii verbis commotus cum Vindice societatem iniit.[2]) Idem quoque postea primus senatus consultum Galbae nuntiavit.[3]) Quibus rebus Vinius tantam sibi Galbae amicitiam peperit, ut, quaecunque volebat, per eum efficere posset.[4])

Alter familiarium Cornelius Laco ex assessore[5]) praefectus praetorianorum a Galba creatus est.[6]) Erat autem ipse ignavissimus atque maxime socors,[7]) in alios arrogantissimum se praestitit eorumque consilia, quamvis egregia essent, omnino repudiabat. Quibus rebus factum est, ut omnibus intolerabilis ad praefecturam administrandam minime aptus esset.[8]) —

Neque minore valebat gratia Icelus libertus, qui primus Galbae nuntium attulit, Neronem periisse ipsumque imperatorem electum esse; qua de causa gradu equestri et cognomine Marciani Galba eum ornavit.[9]) Qui quidem quum propter alia scelera criminibus obrutus tum imprimis avaritiae accusatus est, quippe quum septem mensibus plus quam Neronis liberti rapuisse dicatur.[10])

Hi viri una cum Galba in Palatio habitabant et quomodo volebant, senem invalidum consiliis suis gubernaverunt.[11]) Nullam gratiam Galba nisi per eos cuiquam attribuit, et qui poenas dare jussi erant, per eosdem solos ab illis solvi[12]) poterant. Bonis consiliis, quae Galba iis incommoda cepisse videbatur, aliquo modo occurrebant,[13]) viros autem optimos quasi suspectos maxime

---

[1]) cf. Tacit. H. V. 16. I. 6. 16. De legione VI. sive Hispana cf. Orellii adn. ad Tacit. H. I. 6. — [2]) cf. Plutarch. G. 4. — [3]) cf. Plutarch. Galb. 7. [4]) cf. Plut. G. 12. Tacit. H. I. 48. 6. Sueton. G. 14. — [5]) cf. Walter II. p. 382. §. 742. — [6]) cf. Tacit. H. 1. 13. Plutarch. G. 13. — [7]) cf. Tacit. H. I. 6. Sueton. G. 14. — [8]) Tacit. H. I. 26. Sueton. G. l. c. — [9]) cf. Plutarch. G. 7. Tacit. H. I. 13. Sueton. G. I. 14. — [10]) cf. Tacit. Hist. I. 37. II. 95. et Sievers. l. c. p. 52. — [11]) cf. Sueton. G. 14. Tacit. H. I. 6. — [12]) cf. Sueton. G. 15. Plutarch. G. 17. — [13]) cf. Plutarch. l. c.

ab eo removere studebant.[1]) Quorum scelerum, quae rapinis caedibusque commiserunt, populus ad Galbam retulit culpam[2]) quamvis ipse ab injuria illata alienus esset.

Nihilominus inter se maxime discordes erant et alter alteri repugnans suo quisque inserviebat commodo.[3]) Etiam liberti Galbae multum deliquerunt et alius alio modo ejus imperio, quod propter senectutem breve futurum esse suspicabantur, quam diligentissime usi[4]) sunt, ut maximas sibi compararent divitias.

XII.

Quas res Galba Romae gesserit.

Quum Romam advenisset Galba, primum Neronis socios punivisse videtur. Jam Nymphidius populo indulgens nonnullos eorum interficiendos tradiderat, quos plebs inhumana feritate obtruncavit.[5]) Summo igitur omnes gaudio afficiebantur, quum illos quoque scelerum Neronis socios atque auctores, qui tot tantisque facinoribus abusi erant imperio, jussu Galbae per urbem ad mortem trahi viderent. Hoc modo perierunt Helius, Patrobius, Polyclitus, Locusta veneficiis infamis,[6]) multi alii. Attamen aegre ferebat populus, quod Galba Halotum atque Tigellinum, omnium deterrimos, omni poena exemit.[7]) Quotiescunque enim populus illorum mortem vehementissime flagitabat, tamen nequaquam Galba ei morem gessit: Tigellinum enim, ait, e tabescente corpore laborare et mox esse moriturum, ne ob eam rem imperium suum crudele ac tyrannicum facerent.[8]) Tigellinus autem Vinium, cujus filiam Neronis furori eripuerat, sibi benevolum fecerat ejusque ami-

---

[1]) Tali modo Vinius Virginium Rufum a Galba removit. cf. Plutarch. G. 10. — [2]) cf. Plutarch. G. 17. 12. Dio. Cass. 64. 2. Aurel. Victor. Caes. c. 6. epet. 6. — [3]) cf. Tacit. Hist. I. 13, 33. — [4]) cf. Tacit. Hist. I. 7. Dion. Cass. 64. 2. Sueton. Galb. 15. Tillemont. l. c. I. 148. — [5]) cf. Plutarch. Galb. 8. — [6]) cf. Plutarch. Galb. 17. Dio. Cass. 64. 3. De Locusta cf. Pauly. R. E. IV. p. 1202. De Petino et Narcisso, quorum alterum Plut. l. c. alterum Dio. Cass. l. c. affert. cf. Sievers. l. c. p. 50. n. 8. — [7]) cf. Plutarch. G. 17. Suet. G. 15. Dio. Cass. 64. 3. — [8]) cf. Sueton. G. 15. Plutarch. G. 17.

citiam praeterea paulo ante magna sibi firmaverat pecunia.[1]) — Quia Halotum summa omnium offensione Galba amplissima procuratione ornavit.[2])

Pari modo eos quoque supplicio affecit, qui Nerone regnante aliquo modo calumniis vel falsis testimoniis alios oppresserant; servos autem, qui dictis vel factis dominos laeserant, iisdem puniendos tradi jussit.[3]) Cohortem autem Germanorum, quasi Dolabellae, ipsius propinquo,[4]) juxta cujus hortos forte tendebat, esset propensior, postquam dissolvit, sine ullo commodo in patriam remisit.[5])

Altius etiam processit senatus in ira contra Neronis socios, quippe quum accusatorum causas noscendas esse censeret. Quod tamen consultum, prout reus potens vel inops erat, varie exercebatur.[6])

At non solum auctores sociosque scelerum punivit Galba, verum etiam iis, qui illorum flagitiis detrimentum ceperant, optime prospexit. Ita omnibus, quos Nero propter laesam majestatem in exsilium miserat, in patriam urbem redeundi licentiam dedit.[7]) Optime etiam consuluit vexillis Germanicis, quae a Nerone Alexandriam praemissa, longa navigatione perfuncta corporibus inde invalidis redierant. Qua impensiore cura tam fideles illos milites sibi reddidit, ut hi soli postea eum non proderent[8])

Neque minorem laudem Galba sibi paravit, quod etiam occisos ex Neronis familia non neglexit, sed statuas eorum reposuit ossaque in Augusti intulit[9]) monumentum.

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 72. Plut. G. 17. Tigellino imperium exercitus cujusdam datum esse videtur, quamquam Sueton. 15. hujusrei mentionem non facit. cf. Plut. G. 19. Falso autem contendit Tillemontius (I. p. 148.) Vinium Tigellini filiam in matrimonium duxisse cf. Plut. G. l. c. Tacit. Hist. l. c. — [2]) cf. Sueton. G. 15. Dio Cass. (64. 3) cur hoc Galba populo invito fecerit, causam aperit. — [3]) cf. Zonar. XI. 14. — [4]) cf. Tacit. I. 88. — [5]) cf. Sueton. Galb. 12. Haec cohors ab Augusto post cladem Varianam dimissa, (Sueton. Aug. 49.) a Tiberio restituta (Tacit. An. I. 24.) et ab aliis retenta differt a vexillis Germanicis, quae in barbarorum numero habenda sunt. Tait. H. I. 6. 31. Tillemont. I. 149. — [6]) Tacit. Hist. II. 10. — [7]) cf. Zonar. XI. 14. Tacit. H. I. 77. — [8]) cf. Tacit. Hist. I. 31. Sueton. G. 20. — [9]) cf. Zonar. XI. 14.

Quibus rebus gestis Galba omnem curam in restituendo aerario sibi adhibendam esse censuit.[1] Quantum quidem pecuniae praeter sumptus solitos Nero donationibus[2]) profuderit, quis est, qui nesciat? Quam ob rem illas pecunias et possessiones, quas donaverat Nero, decima[3]) parte relicta repetere constituit, cui negotio quinquaginta[4]) equites praefecit.[5]) Tali modo Pythia decies sestertium et Hellanodici quadraginta sestertia reddere jussi[6]) sunt. Quum autem scenici xysticique atque alii jam pridem omnia, quae acceperant, profudissent, Galba ab emptoribus omnia pari acerbitate exigi jussit.

Quamquam autem tota urbs maxime perturbata erat, quum propter multas illas exactiones ubique viderentur hasta et rector, neque pauci magna facultatum parte privabantur, tamen grande gaudium erat, „quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset.“[7])

Sed eadem ratione, qua Galba dona a Nerone data repetivit, etiam rapta restituit. Nam per Agricolam dona, quae rapuerat Nero, recognoscenda curavit, et ablata, quantum fieri potuit, reddi jussit.[8])

Neque vero Galba satis habuit, fiscum hoc modo restituere, sed in re quum publica tum privata tanta utebatur parsimonia, quae neque imperatore digna neque rei publicae semper utilis

---

[1]) Teste Tacito (I. 20.) Galba, quum jam adoptasset Pisonem, illa dona repeti jussit. Cum hoc autem tempore minime convenit, quae ipse et alii rerum scriptores de exactione illa referunt. Neque enim illa mandata, quum a Graecis quoque pecuniae revocarentur, quattuor vel quinque diebus effici potuerunt, neque Galba defectione legionum jam allata negotium tam difficile suscepisset. cf. Tillemont. I. p. 15. n. 5. cf. Orellium ad Tacit. l. c.

[2]) cf. Tacit. H. I. p. 20. „Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat“ i. e. 48,922,500 thaleros. — [3]) Suetonii sententia hoc loco minime mihi recta esse videtur, qui quidem eum non decimam partem, sed tantum decimas iis concessisse contendit. (Suet. G. 15) Decimae autem, ut ex ejusdem scriptoris verbis patet (Calig. 2.), sunt dona parva fortasse missilia, quae imperatores saepe in plebem spargebant. Baum.-Crus. ad Suet. l. c.

[4]) Diversitatem numeri equitum, quos Tacitus XXX., Suetonius L., exactioni praepositos esse dicant, Casaubonus ita componit, ut XXX. prioribus XX. additos suspicetur. — [5]) cf. Sueton. G. 15. Tacit. H. I. 20. Plut. G. 16. Zonar. XI. 14. — [6]) cf. Dion. Cass. 63. 14. — [7]) cf. Plutarch. Galb. 16. Tacit. H. I. 20. — Sueton. G. 15. — [8]) cf. Tacit. Agricol. 6. Sueton. Neron. 32.

esset, populo autem ad Neronis liberalitatem assueto valde molesta. Nam etiam jura trium liberorum ab aliis imperatoribus liberaliter semper data, raro et ad certum modo praefinitumque tempus dedit, neque saepius cuiquam tribuit civitatem Romanam.[1])

Ut Galba revocandis donis aerarium restituere, sic remittendo tributo populum summis vectigalibus pressum sublevare studuit. Multa enim tributa[2]) — quae et quanta fuerint, nescimus — non solum Romae, sed etiam in provinciis partim remisit, partim deminuit. Quot civitates Hispaniae atque Galliae munerasset, jam supra dixi. Venacinis quoque, qui Sardiniam tenebant, deminutum esse tributum ex inscriptione quadam in aperto est.[3]) — Quot quantaque Aegyptus Galbae debuerit beneficia, ex decreto quodam Tiberii Alexandri, qui tum huic provinciae praeerat, optime intelligimus. Nam omnes injurias, quae multae et variae Nerone regnante quum in provincia administranda, tum in exigendo tributo commissae erant, omnino abolevit, jura autem incolis antea concessa accuratius constituit atque auxit.[4]) Similia mandata in alias quoque provincias emissa esse, jure suspicari possumus, quippe quum rapinis Galba maxime infensus esset, quod etiam nummis affirmari videtur.[5])

In posterum quoque provincias ab injuriis tueri studuit, quum officia senatorum equitumque, qui aliquo munere in provinciis fungebantur, biennio determinare et nisi invitis ac recusantibus ea dare nollet.[6])

[1]) cf. Sueton. Galb. 14.

[2]) cf Sueton. Vespas. 16. Remisit etiam quadragesimae vectigal, quod ab imperatore Cajo primum institutum invenimus. Suet. Calig. 40. Quod vectigal Nero a. 811 abolevit (Tacit. Ann. 13. 51.) postea autem, quamquam haec res a nullo auctore memoratur, pecuniae inopia pressus reduxisse videtur, quod multis nummis, qui a Galba quadragesimam rursus remissam esse declarant, satis affirmatur. cf. Henry Cohen. l. c. p. 237. No. 178. Clinton. F. R. p. 53. Burmann. de vectigalibus. c. 5. p. 64. seqq. de hoc vectigali conferas.

[3]) cf. Orellii inscript. 4031. — [4]) cf. Rudorff. Rhein. Mus. II. p. 70. p. 133. Scharpe Gesch. Aegypt. bearb. v. A. Gutschmid. Leipz. 1862. II. p. 123. — [5]) Huc referendi sunt nummi: „Roma renascens" „Libertas Restituta" „Libertas publica" inscr. cf. Mediobarb. p. 99. Cohen. p. 223. n. 48, 51; p. 224. No. 55. — [6]) cf. Sueton. Galb. 15. Equites praecipue procuratorum munere fungebantur. (Tacit. Agr. 4.) Quae senatorum munera fuerint, non satis constat.

Iudicibus autem, ut sextam adjiceret decuriam, eum precantibus non modo hoc negavit, sed etiam beneficio,[1]) quod iis Claudius concesserat, erepto, ut terni invicem menses feriis judiciisque darentur,[2]) constituit.

Neque vero omittam meritum, quod Galba horreis conditis de urbe sibi paravit, quum tali modo famem subitam prohiberet.[3]) — Quibus omnibus, quantopere salus reipublicae ei curae fuerit, satis in aperto esse videtur.

Quibus rebus gestis Galba ineunte anno 69. cum Tito Vinio iterum consulatum[4]) iniit. Quamquam Galba his, quas dixi, institutionibus imperium optime constituit, indignatio tamen contra eum in dies crescebat.

Quod quum cognovisset, se ob senectutam orbitatemque contemni putans, virum quendam nobili loco natum adoptare constituit.[5]) Neque minus ad hoc consilium eum moverunt legiones, de quorum animis irritatis per procuratores jam certior factus erat.[6]) Sed illi tres Galbae familiares, qui ne de levissimis quidem rebus consentiebant, maxime discrepuerunt, quisnam a Galba adoptandus esset. Dum enim Vinius propter filiam, quam Otho, si adoptaretur, se in matrimonium ducturum esse promiserat, huic favet, Laco et Icelus, Vinio adversantes, alium adjuverunt.[7])

Marcus Salvius Otho, Lucii consularis filius, a. d. IV. Cal. Maj. 785 a. u. c. natus est. Jam adolescens luxuria atque libidine infamis erat, postea socius ac minister amorum scelerumque Neronis factus est. Propter Poppaeam Sabinam, quam Nero vehementer amabat, in summum fere venisset vitae periculum, nisi Senecae, amici sui, consilio legatus in Lusitaniam remotus esset. — Qua provincia per decem annos moderate et abstinenter functus est. Quum autem Galba a Nerone defecisset, Otho omnium primus ad eum accessit omniaque ex auro argentoque facta, qui-

---

[1]) Nam ante Claudium ternos menses judiciis datos terni feriis concessi sequebantur. Claudii autem beneficio altera pars anni, quae antea feriis interrupta erat, labori judiciali, altera sine intermissione feriis data est. — cf. Sueton. Claud. 23. et Baumgarten-Crus. ad. l. c.

[2]) cf. Sueton. Galb. 7.

[3]) cf. Orellii inscript. No. 45 et 4092. — [4]) cf. Tacit. H. I. 1. Clinton. F. R. I. p. 52. — [5]) cf. Sueton. G. 17. Plutarch. G. 19. — [6]) cf. Plutarch. G. 18, 19. Tacit. H. I. 12. — [7]) cf. Tacit. H. I. 13. Plutarch. G. 21.

bus nummos faceret, detulit. Simul ex servis eos, qui imperatori scite ministrare possent, ei donavit. Deinde per complures dies Galbam in itinere comitatus Titum Vinium, quem primum locum apud Galbam tenere animadverterat, magnis pecuniis sibi conciliavit.[1])

Dum autem Galba, quem adoptet, secum animo reputat, subito nuntii afferuntur, exercitum superioris Germaniae sacramento rupto alium poscere imperatorem.[2])

XIII.

Legiones Germanicianae Vitellium imperatorem proclamant.

Nam quum Hordeonius Flaccus legatus Calendis Januariis, ut fieri solet, exercitum rursus jure jurando imperatori obstringere vellet, milites Galbae imaginibus direptis senatui populoque Romano sua sponte fidem jurant.[3]) Hordeonius Flaccus, his rebus mente omnino turbatus, quid agendum esset, nesciebat. Tum quattuor centuriones militibus primum restiterunt, sed Galbae imagines frustra servare conati sunt, quum a militibus abrepti in vincula conjicerentur.[4])

Quae quum ita se haberent aliique centuriones jam militum licentiam magis quam seditionem metuerent, unus eorum: Vitellius, inquit, inferioris exercitus dux, cujus pater censor atque ter consul fuit, imperio dignissimus esse mihi videtur. Illum proclamemus imperatorem, ut, quanto magis jus eligendi principis Iberis Lusitanisque habeamus, appareat.[5])

Dum haec oratio a militibus vario excipitur animo, nocte, quae Calendas Januarias secuta est, aquilifer quidam e castris ad Vitellium contendit et, quae facta essent, nuntiavit. Quum Vitellius vino forte gravis per aquiliferum coram amicis nuntium illum accepisset, imperium, quod paulo ante ob nimiam moles-

[1]) cf. Plutarch. G. 19. 20. Tacit. H. I. 13. Sueton. Othon. 2—4.
[2]) cf. Plutarch. G. 22. Sueton. G. 16. Tacit. H. I. 12. — [3]) cf. Tacit. H. I. 55. Plutarch. G. 22. — [4]) cf. Tacit. H. I. 56. — [5]) cf. Plutarch. Galb. 22.

tiam recusaverat, statim se suscepturum esse professus est, nomen tamen Caesaris accipere negavit[1]). — Inferior exercitus Cal. Januar. quamquam invitus sacramentum quidem dixerat, quum nemo, quod omnes cupiebant, primus incipere vellet. Qualem animum contra Galbam haberent, saxis in ejus imagines jactis satis indicaverant, ita ut tum jam Vitellius, si voluisset, facile rerum potiri potuisset.[2]) — Quae quum ita essent, exercitum suum hujus rei certiorem fieri et quid faciendum esse censeret, exquirere jussit.

Postquam igitur proximo die Fabius Valens[3]) cum legionis equitibus advenit eumque imperatorem salutavit, aliae quoque legiones quam celerrime secutae sunt. Neque diu cunctatus est superior exercitus, sed sacramentum, quod paulo ante senatui populoque Romano dixerat, negligens jam a. d. III. Non. Jan. ad Vitellium transiit. Milites enim mirum quanto flagrabant studio in Vitellium, ita ut omnia ei libentissime offerrent. Neque cesserunt Galliae civitates, Agrippinenses, Treviri, Lingones militibus, sed quantum quaeque potuit, auxilia, equos, arma, pecuniam, liberaliter omnes praebuerunt.[4])

XIV.

Galba Pisonem adoptat et ipse ab Othone interficitur.

Galba quum litteris, quas a Pompejo Propinquo acceperat, maxime perterritus esset, adoptionem non diutius differendam esse censuit. Quum autem imperii salutem suo ipsius commodo semper praetulisset, dignissimum, non sibi gratissimum adoptare voluit.[5]) Qua de causa neque Otho, quem magna profusione quinquagies centena milia denariorum aeris alieni contraxisse scie-

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 56. Plut. G. 22. — [2]) cf. Tacit. H. I. 55. — [3]) De Fabio Valente cf. Tacit. H. I. 52.

[4]) Causas illas, quibus milites tantopere inflammati sunt, Tacitus l. c. optime his verbis exprimit: „instinctu et impetu et avaritia." — [5]) cf. Plutarch. G. 21.

bat,[1]) neque Dolabella[2]), ejus propinquus, qui adoptarentur, digni videbantur. Itaque amicis convocatis,[3]) quomodo se res haberent, exposuit, et praeter omnium[4]) opinionem Pisonem Frugi Licinianum arcessi jussit.[5])

Piso, filius M. Crassi et Scriboniae, quos interfecit Claudius,[6]) nobilissimo genere natus est. Ex fratribus Magnus a Claudio, Crassus a Nerone occisus erat.[7]) Ipse quoque diu exsul, multa jam mala perpessus,[8]) quum adoptaretur, unum et tricesimum aetatis annum explevit.[9]) Neque igitur Pisonem tot casibus affectum tristiorem factum esse mirum est.[10]) Excellebat autem prae ceteris magna modestia, prudentia, aliis virtutibus. Quum praeterea vultu habituque mores retineret antiquos, summa in eo fuisse videtur severitas, quo fortasse factum est, ut Galba prae ceteris eum adoptandum eligeret.[11])

Piso, quum de adoptione certior factus esset, nuntium aequo animo accepit et neque gaudium neque ullum animi motum ostendens vultu et habitu immutatum se praestitit. Deinde ad Galbam conversus summa cum reverentia locutus est; de se pauca tantum moderate dixit. — Quum omnibus adoptio optime primum in castris nuntiari videretur, ut Galba milites, quos largitione allicere noluerat, hoc honore sibi conciliaret, statim eo se contulerunt.[12]) Mala autem omina, quae Galba tamen ut fortuita sprevit, valde ab eundo deterrere videbantur. Postquam igitur ibi in frequenti

---

[1]) cf. Plutarch. G. l. c. — [2]) cf. Plutarch. G. 23. Causas, cur hunc non adoptaverit, nescimus. Tacitus (H. I. 88) eum in numero Galbae propinquorum affert. — [3]) Praeter Vinium et Laconem Galba ad adoptionem constituendam Marcum Celsum, consulem designatum et Ducennium, praefectum urbis adhibuit. cf. Tacit. H. I. 14.

[4]) Fuerunt, qui crederent, Laconem, qui apud Rubellium Plautum Pisone familiariter utebatur, eundem quasi ignotum Galbae commendasse. Tacit. H. I. 14.

[5]) Suetonio (G. 17) auctore Galba Pisonem „repente e media salutantium turba apprehendit filium appellans," quod cum Tacito (l. c.) et Plutarcho (G. 23) minus convenit. Ab his omnibus longe autem abhorret Philostratus vit. Appoll. V. 32. „De tempore cf. Tacit. H. I. 18. „quartum Idus Jan." (10 d. mens. Jan.).

[6]) cf. Senecae op. om. Apocolocyntosis. p. 479. Plut. G. 23. a Nerone Pisonis parentes occisos esse contendit. — [7]) cf. Tacit. H. I. 48. — [8]) cf. Tacit. H. I. 29. — [9]) cf. Tacit. H. I. 48. — [10]) cf. Tacit. H. I. 14, 21. — [11]) cf. Tacit. H. I. 14. Plutarch. G. 23. Dio. Cass. 64. 5. Sueton. G. 17. Zonar. XI. 14. Tillemont. I. p. 151. — [12]) cf. Tacit. H. I. 17. Plutarch. G. 23.

militum concione paucis verbis Pisonem a se adoptatum esse pronuntiavit, et ne seditio dissimulata major etiam crederetur, quid fecisset exercitus superior, exposuit, — tum coelum fulgurans tonansque tantopere saevire coepit, ut omnes adoptionem diis displicere putarent. — Tribuni quidem et centuriones grata Galbae responderunt, quasi adoptione laetati; milites autem triste silentium maestitiamque obtinebant, quasi mala futura jam praesentire viderentur. Neque vero tum Galba donativi mentionem fecit, quamquam eum his temporibus quantulocunque dono milites sibi conciliare potuisse constat.[1]) Eadem brevitate, qua in castris usus est, etiam in senatu Pisonis adoptionem indicavit.

Piso autem comi atque benigna oratione patres allocutus eorum favorem statim sibi paravit. Summus autem metus patres incesserat, quum legionum tumultum in dies crescere audirent, qua de causa legatos eo mittendos esse censebant. Sed quum Laco, qui una cum Pisone aptissimus videbatur, ire nollet atque etiam alii alia de causa rem abnuerent, legatio ad irritum[2]) redacta est.

Maxime adoptionis nuntio perturbatus est Otho, qui jam in castris gestu satis prodiderat magnam indignationem, qua spe destitutus animus movebatur. Itaque luxuria stimulatus pressusque intoleranda inopia, res, quas habebat, perditas seditione facta meliores reddere conatus est.[3]) Accedunt etiam amici Nymphidii et Tigellini, qui per Galbam honoribus privati cum Othone se conjunxerant eumque maxime incitaverunt.[4]) Neque minus spe animoque Othonem implevit Ptolemaeus, cui quidem ob priorem eventum valde confidebat.[5]) Ceterum jam pridem Otho consilium aut adoptione aut vi rerum potiri cepisse videtur. Jam multo ante milites quoque modo sive benignitate,[6]) qua singulos appellabat, sive pecunia,[7]) quam liberaliter inter omnes dividebat, benevolos sibi faciendos curaverat.

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 18. Plutarch. l. c. Sueton. G. 17, 18.

[2]) cf. Tacit. H. I. 19. — [3]) cf. Tacit. H. I. 21. Plutarch. G. 21, 23. Sueton. Othos. 5. Dio. Cass. 64. 5. Zonar. XI. 15. — [4]) cf. Plutarch. G. 23. — [5]) Hic mathematicus a Tacito et Plutarcho Ptolemaeus, a Suetonio Seleucus nominatur; utrum nomen rectius sit, non constat. cf. Tacit. H. I. 22. 23. Suet. Oth. 5. Plut. G. 23. — [6]) cf. Tacit. H. I. 13. 23. — [7]) cf. Sueton. Oth. 4. Tacit. H. I. 24. Plut. G. 20.

Quam ob rem, quum milites ad omnes casus paratos sibi conciliasset, non diutius cunctatus est, sed Onomastum quendam, quem habebat libertorum aptissimum, conjurationi praefecit. Hic per Barbium Proculum et Veturium, quos homines audaces callidosque cognoverat, milites pertentari jussit.[1]) Quorum quidem animi jam diu suspensi, quam celeriter ac facile, quum admonerentur modo donativi negati, modo prioris licentiae, Galbae abalienati sint, memorabile[2]) dictu est.

Jam paulo post Othonem, quum a coena sero rediret, imperatorem proclamassent, nisi timuissent, ne nocte milites, qua de re agatur, nescientes inviti Galbae faverent. Indicia autem seditionis, quorum multa jam eruperant, Galba Laconis consilio firmatus neglexisse[3]) videtur. Neque vero facinus, quod nocte perpetrare dubitarunt, diu dilatum est.

Quum enim Galba a. d. XVIII. Cal. Febr. coram Othone pro aede Apollinis mane sacrificaret, haruspex Umbricius extis vix inspectis hostem domesticum insidias parare ei praedixit. Otho, qui haec verba consiliis suis prospera interpretatus est, modo palescens, modo erubescens inter spem et metum fluctuabat, donec Onomastus signo, de quo convenerant, eum revocavit. Quum igitur milites convenisse eumque exspectare cognovisset, simulata causa abeundi per Tiberii domum in Velabrum et inde ad milliarium aureum se contulit. Quo quum pervenisset, eum ob parvum numerum obstupefactum tres et viginti milites in lectica imponunt et gladiis strictis per forum rapiunt. Totidem fere milites in itinere se adjungunt, quibus alii terni vel quaterni rursus se aggregant.[4]) Tali modo ad castra pervenerunt, neque tribunus, qui forte stationem agebat, quominus intrarent, prohibuit, neque omnino quisquam obstitit, quum rei conscii ejus inscios in medium excepissent, isque habitus animorum esset, „ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.“[5])

---

[1]) Quorum alter speculatorum tesserarius, alter optio erat. cf. Tacit. H. I. 25. et adnot. Orell. ad, l. c.

[2]) cf. Tacit. H. I. 25. Plutarch. G. 24. Suetonius Othon. 5. numero speculatorum differt, quum non duobus, sed quinque hanc rem commissam esse narret. — [3]) cf. Tacit. Hist. I. 26. — [4]) cf. Tacit. H. I. 27. Plutarch. G. 24, 25. Sueton. G. 19. Oth. 6. Dio. Cass. 64. 5. Zonar. XI. 14. — [5]) cf. Tacit. H. I. 28. Plutarch. G. 25.

Galba hujus rei ignarus sacris occupatus erat, quum repente nuntius in castris aliquem salutari imperatorem allatus est. Mox alii Othonem appellari Galbae referunt, magnaque simul ex tota urbe multitudo visendi cupida ad palatium convenit. Qua re perterriti Vinius et Laco strictis gladiis juxta Galbam consistunt. Piso autem ad cohortem, quae stationem in palatio agebat, contendit,[1]) cujus fidem Galbae servaret. Neque illi Pisonem aspernati sunt, sed oratione ejus audita ad pugnam se expediverunt.[2]) — Haud ita exceperunt electi exercitus Illyrici Celsum Marium ad se conciliandos missum, quum infestis pilis eum repellerent.[3]) Tribunis autem, qui in castris milites a consilio demovere studebant, ne loqui quidem concessum est; unum etiam ex his, Longinum, Galbae amicum, armis spoliatum verberibus affecerunt.[4]) Legio classica jam diu Galbae ob commilitonum caedem infesta re cognita statim ad Othonem transiit.[5]) — Inter omnes copias sola vexilla Germanica Galbae servaverunt fidem; sed quum loca ignorarent, devio itinere serius advenerunt.[6])

Galba autem, quid faceret de rebus suis, incertus erat. Dum enim Vinius domi seditionis exitum opperiendum esse censet, Laco ceterique Galbae, ut ad castra contendat militumque animos auctoritate sua ad officium reducat, suadent. Huic consilio Galba postremo assentitur et Pisone praemisso ad castra ire constituit.[7]) — Sed Pisone vix egresso Othonem occisum esse rumor[8]) perfertur, jamque nonnulli se interfuisse facinori affirmant.[9]) Quo nuntio cognito jam senatores atque equites ad palatium contenderunt, summisque affecerunt Galbam blanditiis. — Tali modo deceptus Galba lintea lorica, indutus in sella ad sacrificandum Jovi in

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 29. Zonar. l. c. Plut. G. 25. — [2]) Utrum illi sola simulatione arma paraverint, an postea per commilitones abrepti Galbam deseruerint, non satis constat. cf. Tillemont. I. p. 152. Tacit. H. I. 29. 31. — [3]) cf. Tacit. H. I. 31. Plut. G. 25. — [4]) cf. Tacit. H. I. 31. Dio. Cass. 64. 6. Zonar. l. c. — [5]) cf. Tacit. H. l. c. — [6]) De his copiis Tacitus et Suetonius inter se discrepant; ille diu eos nutavisse, hic statim advolasse eos contendit. Si vero merita reputas, quibus Galba eos sibi conciliavit, illud Suetonii verisimilius esse videtur. Tacit. H. I. 31. Sueton. G. 20. — [7]) cf. Tacit. H. I. 32, 33, 34. Plutarch. G. 26. Suet. 19. — [8]) Hunc nuntium Othonis socii de industria evulgasse dicuntur, quo Galbam e palatio elicerent. Suet. G. 19. Tacit. H. I. 34. — [9]) cf. Tacit. H. I. 34.

forum se contulit. Neque tamen palatio jam excesserat, quum Julius Atticus, speculator quidam, ei obviam venit et cruentum gladium ostentans a se interfectum esse Othonem gloriatus est. Galba, hoc facinore, ut videtur, incensus: „Commilito, inquit, quis jussit?“ et severe fortasse punivisset militem, nisi populus, qui factum laudabat, eum prohibuisset; nam „insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus“ erat.[1])

At Othoni omnia prospere evenerunt. Nam milites, quos criminibus enumerandis etiam infensiores reddiderat Galbae, mirabili studio erga eum flagrabant. Quum deinde armamentario aperto, ordine militiae omnino neglecto, arma arripuissent, sine ullo duce in urbem irruunt.[2])

Tum vero Galba, qui jam in forum venerat, per Marium Celsum certior factus est, quomodo milites eum excepissent. Etiam Piso ad castra praemissus celeriterque reversus, quae viderit, quae audiverit, nuntiat. Quo factum est, ut summa omnes incederet perturbatio et alii alia facienda esse censerent. Galba autem pari modo obstupefactus, ut fieri solet, tum huc, tum illuc fluctuabat, ita ut, quum tandem aliquando consilium cepisset, jam tempus agendi omnino nullum esset. Otho enim plebem armari ratus equites praemiserat, qui Galbam celeritate praevenirent. Quum hi in forum irrumperent, populus, e via excedere jussus, statim digreditur et cupidus, quid fiat, templa atque basilicas implet.[3]) Haud ita multo post etiam pedites advenerunt et Attilius Vergilio, vexillarius cohortis, quae Galbam comitabatur, imaginem ejus deripuit soloque afflixit. —

Quod quum vidissent Othonis milites, strictis gladiis Galbam aggressi undique tela in eum conjecerunt. Qua de causa omnes in fugam se dederunt et Galba trepidatione ferentium juxta Curtii lacum e sella provolutus a militibus trucidatus est.[4]) Ille autem ultro militibus jugulum offerens dixisse fertur „agerent ac ferirent,

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 35. Plut. G. 26. Suet. G. 19. Dio. Cass. 64. 6. — [2]) cf. Tacit. H. I. 36—39. Suet. Oth. 6. — [3]) cf. Tacit. H. I. 39, 40. Plutarch. G. 26. — [4]) cf. Tacit. H. I. 41. Sueton. G. 19. 20. Plutarch. G. 27. Zonar. XI. 14. Dio. Cass. 64, 6. Aurel. Victor. Caess. epit. VI. Eutrop. VII. 16. Oros. VII. 7. Chronic. Paschal. p. 459. ed. Dindorf. Syncell. p. 645 ed. Dindorf. Flav. Jos. Bell. Jud. IV. 9. 2. Joh. Antiochen. frgt. IV. p. 576. ed. Müller Ausonii epig.

si ita e re publica videretur.“[1]) Neque vero, a quo occisus sit, in aperto est. Sunt enim, qui Terentium percussorem ejus fuisse velint, alii Lecanium, plerique Camurium, quintae decimae legionis militem, appellant. Caput ejus Fabius Fabullus amputasse dicitur et quum ob calvitiem capillo apprehendere non posset, in gremium abdidit, donec a commilitonibus permotus inserto per os pollice ad Othonem detulit.[2]) Ne a corpore quidem se abstinuerunt milites et omni jam ignominia illata crura etiam et brachia atrocissime laniaverunt.[3]) Otho autem allato Galbae capite: *Οὐδέν ἐστι τοῦτο,* inquit, *ὦ συστρατιῶται, τὴν Πείσωνός μοι κεφαλὴν δείξατε*“[4]) — Piso enim a Sempronio Denso centurione[5]) contra milites defensus in Vestae aedem effugerat, ubi servus quidam misericordia ductus eum in contubernium suum abdidit. Centurio autem Pisonem, cujus praesidium a Galba ei oblatum erat, officii memor acriter defendit, donec telis vulneratus honeste occubuit. Attamen neque latebrae, neque aedis sanctitas Pisonem a militum saevitia tueri potuit, qui protractum neglecta deorum religione in ipsius templi foribus trucidaverunt. Maxime laetatus Otho caput ejus, quum milites ad eum detulissent, perlustravit, quasi tum primum ob omni periculo liberatus esset.[6])

Quibus occisis etiam in Titum Vinium invaserunt milites,

p. 603. ed. Sylburg. Tillemont. I. p. 152. — Galba imperavit septem menses totidemque dies. cf. Flav. Joseph. Aurel. Victor. l. l. c. c.; Dio Cassius, Zonaras, l. l. c. c. Cedrenus (I. p. 379) qui Galbam novem menses et tredecim dies regnasse enarrant, a die III. mensis Aprilis incipiunt, quo die a militibus imperator renuntiatus est. Alii rerum scriptores diebus plerumque omissis varie et minus accurate de hac re disserunt. cf. Clinton. F. R. I. p. 54. Malalas p. 258 ed. Dindorf. falso affert: „Τελευτᾷ ὁ Γάλβας ἰδίῳ θανάτῳ ἐξαίφνης φλεβοτομηθείς.“

[1]) cf. Tacit. H. I. 41. Sueton. G. 20. — [2]) cf. Sueton. G. 20. Plutarch. G. 27. militem a commilitonibus hortatum Galbae caput hostae praefixisse et, quum illud more Baccharum saltans diu circumtulisset, Othoni deinde tradidisse narrat; quocum Dio. Cass. 64. 6. et Zonaras XI. 14 consentiunt. Accuratius rem descripserunt Tacitus H. I. 44. 49. et Suetonius G. 20. non militem, sed calones lixasque, quibus Otho caput postea donasset, illud circumtulisse.

[3]) cf. Tacit. H. I. 41. Dion. Cass. 64. 6. — [4]) cf. Plutarch. G. 27.

[5]) Quem quidem centurionem Dio Cassius 64. 6. et Plutarchus G. 27. Galbae succurrisse affirmant. Tacitus H. I. 53, cui rem accuratissime enarranti major fides habenda est, Pisoni illum auxilium tulisse contendit, cui etiam Suetonius G. 19. Galbam a suis desertum esse affirmans assentiri videtur.

[6]) cf. Tacit. H. I. 43, 44; Plut. G. 27. Dio. Cass. 64. 6.

quamquam se conjurationis conscium invito Othone interfici professus[1]) esse dicitur. Laconem Otho per evocatum confodi, in Marcianum Icelum, ut in libertum, palam animadverti jussit.[2]) Occisorum capita Otho lixis calonibusque donavit, qui illa hastis praefixa cum ludibrio inter signa cohortium et juxta aquilam legionis gestabant. Multi alii manus cruentas certatim ostentabant et caedibus quasi praeclaro facto gloriabantur. Quin etiam alii, qui ne interfuerant quidem caedi, manus gladiosque, quasi quosdam occidissent, sanguine obliverunt praemiumque flagitaverunt promissum. Ejusmodi libellos ad impetrandum illud praemium Othoni oblatos Vitellius postea centum et viginti invenit, quorum auctores ille conquiri et ad firmandum imperium interfici jussit.[3])

Quibus rebus factis senatus populusque quam celerrime in castra ire contendunt et Galbam increpantes Othonis militumque, quos paulo ante, quum Galbae fidem affirmarent, ad mortem duci voluerant, judicium laudibus efferunt. Otho omnes benigne excepit atque milites caedis praedarumque cupidos quoque modo coercere studuit.[4]) Quo quidem arrogantiae atque licentiae milites, imprimis praetoriani, Galba mortuo, quasi ipsi soli imperarent, processerint, mirabile dictu est, quum omnia ad suum ipsorum arbitrium geri vellent. Nam non solum sibi, sed etiam urbi praefectum elegerunt.[5]) — Quibus rebus gestis quum praefectus urbanus senatum convocasset, summis cum adulationibus Othoni per stragem jacentium in Capitolium vecto fidem jurant et nomen Augustum atque potestatem tribuniciam una voce decernunt.[6]) —

Tali modo imperio Romano duo praeerant imperatores, quos Tacitus (H. I. 50) haud injuria „omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos“ dicit.

---

[1]) Utrum Vinius conjurationis conscius fuerit, necne, minus constat. Ceterum „huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cujus causa erat.“ cf. Tacit. H. I. 42. Plut. G. 27. Quod Laco quoque censuisse dicitur, quum Galba ignaro eum interficere vellet. cf. Tacit. H. I. 39. Otho autem, quum milites Vinio infestos esse animadverteret, his nihil de eo praescripsisse videtur. — [2]) cf. Tacit. H. I. 46. Plutarch. l. c. — [3]) cf. Tacit. H. I. 44, 49. Plutarch. G. l. c. Sueton. G. 20. — [4]) cf. Tacit. H. I. 45. Plutarch. G. 28.

[5]) cf. Tacit. H. I. 46. — [6]) cf. Tacit. H. I. 47. Plutarch. G. 28. Zonar. XI. 14.

Otho deinde occisorum corpora sepeliri jussit. Pisonem composuerunt frater Scribonianus et uxor Verania, cui petenti caput redditum erat. Titum Vinium Crispina filia sepelivit, quum duobus millibus quingentis denariorum caput ejus redemisset.[1]) At Galbae corpus diu neglectum jacuit, donec Helvidius Priscus Othonis permissu illud excepit. Ab hoc Argius quidam, Galbae dispensator, corpus impetravit nocteque humavit in privatis ejus hortis non longe ab urbe ad Aureliae viam sitis. Caput Galbae a lixis calonibusque libertus Patrobii, Neroniani, centum aureis emerat, eodemque loco, quo Galbae jussu patronus ejus occisus erat, abjecerat, cui nomen erat *Σεσσώριον*. Quod, quum postero die Argius eo loco invenisset, cremato jam corpori addidit.[2])

XV.

De Galbae ingenio et moribus.

Restat etiam, ut, quomodo Galba in rebus privatis atque moribus se habuerit et quanam ratione vitia exprobrata ad vitam ejus pertinuerint, videamus. —

Galba severa majorum disciplina educatus jam puer mores illos antiquos tantopere adamavit, ut, quoad vixit, obstinatissime eos semper retinuerit. Domus autem Galbae tum Romae sola fuit, in qua mores illi jam diu exoleti non modo vigebant, verum etiam haerebant.[3]) Qua de causa Galba lautitiam omnem apparatumque, quo alii sui ordinis tum uti solebant, contemnens semper simplici majorum ratione vixit.[4]) Scimus enim, Othonem, quum ad eum defecisset, eos ex servis suis ei donasse, qui pro imperatoris dignitate scite ei administrare possent.[5])

Quibus cum moribus optime quoque convenit ejus ingenium,

---

[1]) cf. Tacit. H. I. 47. Plut. G. 28. — [2]) cf. Sueton. G. 20. Plut. G. 28. Tacit. H. I. 49. Eutrop. VII. 16 Tillemont. I. p. 153.

[3]) cf. Sueton. G. 4. In Galbae domo etiam mos erat, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent. cf. Suet. l. c. — [4]) cf. Plutarch. Galb. 11, 3. — [5]) cf. Plutarch. Galb. 20. —

quod ob innatum quodammodo rigorem[1]) ad severitatem propensum erat. Neque vero in exercenda severitate justitiam neglexit et sive exercitui sive provinciae praeerat, omnium semper laudem sibi peperit[2]) Quam ob rem saepe res gravissimae ad eum deferebantur et quanta virtute in illis rebus gerendis semper eluxerit, quis est, qui nesciat? Neque quisquam eum nondum imperatorem factum unquam de ulla re vituperavit, sed omnium consensu, qui imperator fieret, dignissimus habebatur.[3])

Invitus autem solisque periculis, quae ei ipsi atque imperio imminebant, adductus rerum potitus est. Itaque ad imperium, quod non sua causa, sed ob salutem generis humani suscepit, se deorum hominumque consensu vocatum esse semper credidit.[4]) Quantum enim afuisset, ut senatu invito illud sibi arriperet, jam antea Cajo interfecto vidimus. Quantae ei curae fuerit imperium, Pisonis adoptione optime edocemur, neque illam in adoptando habitam orationem omnino praetermittere possum. . . . . „Augustus in domo successorem quaesivit, ego in republica, non quia propinquos aut socios belli non habeam, sed neque ipse . . . . Nero a pessimo semper desiderabitur, mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. . . . .[5])

Quum autem imperator factus mores majorum retinens neque poqulo morem gerere, neque a militibus imperium, quod populus Romanus dederat, emere, sed illos dicto audientes esse vellet,[3]) tum disciplina in crudelitatem, parsimonia in avaritiam transiisse videtur,[6]) et multa vitia,[7]) a quibus ipse abhorrebat, ei crimini data sunt.[8]) —

Quod quidem civitates Hispaniae Galliaeque, quae cunctantius ad eum accesserant, gravioribus tributis aliisque damnis punivit, non altius efferendum est, quum se jure imperium accepisse putaret, illae vero civitates infestas se praestitissent. Neque vero poena, qua affecit procuratores et classiarios, quamvis severa es-

---

[1]) cf. Eutrop. VII. 16. Tacit. H. I. 18. Ut mos exoletus, ita etiam severitas quaedam in domo sua haesisse videtur.

[2]) cf. Plutarch. G. 3. Tacit. H. I. 49. Eutrop. VII. 16. Aurel. Victor. ep. VI. Niebuhr. Römische Gesch. V. p. 270. — [3]) cf. Plutarch. G. 29, 5. Tacit. H. I. 49. Auson. ed. Sylberg. p. 603. Plut. G. 13. — [4]) cf. Tac. H. I. 15. Dio Cass. 64. 2. Plut. G. 29. — [5]) cf. Tacit. H. I. 15, 16. Plut. G. 21. — [6]) cf. Plutarch. Galb. 29. — [7]) cf. Sueton. Galb. 12. — [8]) cf. Aurel. Victor. Caess. 6.

set, Galbae crimini tribuenda est. Illi enim maximis sceleribus eum irritaverant; hi vero summa licentia corrupti ne gladios quidem contra imperatorem stringere veriti[1]) sunt, ita ut nisi severitate coacti a proposito non destitissent. Galba autem ad summam militum disciplinam assuetus, quod tanta licentia irritatus, ut exemplum statueret, severissime eos punivit, nequaquam mihi vituperandus esse videtur.

Multo etiam minus avaritia Galbae crimini dari potest. Quin etiam tantum aberat, quamvis opportuna saepe rapiendi occasio offerretur, ut minimum unquam raperet, ut provinciam sibi creditam maxime a rapinis defenderet.[2]) Minime praeterea cum avaritia conveniunt vectigalia ubique fere remissa, quamvis fiscus esset exhaustus. Donativum autem non avaritia, sed ingenio commotus militibus denegasse videtur, quum milites legere, non emere vellet. Accedit, quod ei nihil magis imperatoris dignitatem minuere videbatur, quam coactum aliquid facere.[3]) Quum autem ob senectutem quasi invitus facilior esset libertis,[4]) hominibus deterrimis, qui tam brevi tempore ipsos Neronis socios rapiendo superaverunt, factum est, ut eorum facinora ab omnibus ad Galbam transferrentur,[5]) imo a nonnullis ipsius propria putabarentur.[6])

Quamvis ejus parsimonia, quam publice adhibuit, laudanda sit, non tamen eum nimis in eadem processisse interdum negaverim,[*]) ita ut civitati hac re plus noceret, quam prodesset. Galba enim, qui Scipionem, Fabricium, Camillum sibi imitandos proposuerat in gerendo imperio, tempora sua omnino ignorabat,[7]) quo factum est, ut tam celeriter imperio privaretur. „Nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui jam pares non sumus", Tacitus (H. I. 18.) de eo affert.

Pari modo in rebus privatis tempora parum respiciens, quamquam optimo, ut videtur, consilio ductus, usque ad sorditiem in-

---

[*]) cf. Plutarch. Galb. 15.

[1]) cf. Plutarch. Galb. 4, 29. Tacit. Hist. I. 49. Dio. Cass. 64. 2 — [2]) cf. Tacit. H. I. 5. 18. Dio. Cass. 64. 3. — [3]) cf. Plutarch. G. 13, 16, 17, 29. Aurel. Victor. epit. 6. Tacit. H. I. 49. Dio. Cass. 64. 2. — [4]) cf. Tacit. H. I. 6. Dion. Cass. l. c. Plutarch. G. 16, 17. — [5]) cf. Aurel. Victor. Caes. VI. Orosius VII. 7. Avidii Cassii I. 8. p. 81 ed. Jordan et Eisenhardt. — [6]) cf. Suet. G. 14. — [7]) cf. Plutarch. Galb. 29.

terdum parcus erat. Dona parva et raro dedit.[1]) Neque hoc mirum. „*Βουλόμενος δὲ τῆς περὶ τὰς δωρεὰς ἀμετρίας καὶ πολυτελείας τοῦ Νέρωνος ἀποδεικνύναι μεγάλην ἀστοχεῖν μεταβολὴν ἐδόκει τοῦ πρέποντος.*“[2])

Quae quum ita sint, Galbae imperium sane felicissimum fuisset, nisi libertos illos, homines nequissimos, nimis secutus esset; qua de causa inter bonos malosque principes habendus est.[3])

Uxore mortua coelebs quidem permansit neque libidini indulsisse videtur; maculavit tamen impuciditia, quam cum maribus usque ad mortem exercuit, vitam ceteris moribus insignem.[4])

Sicut ingenium ei erat strenuum, ita etiam corpus firmum et maximorum patiens laborum.[5]) Itaque semper plurimi cibi erat et hiberno tempore jam ante lucem coenare consuevit.[6])

Corporis habitus Suetonio auctore hic: Statura justa fuit, capite calvo, oculis caeruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro propendebatque adeo, ut aegre fascia substringeretur.“

Talis fuit Galba,[7]) de quo recte dixit Ausonius: (l. c.)

„Spem frustrate senex privatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior,
Fama tibi melior juveni, sed justior ordo est
Complacuisse dehinc, displicuisse prius!“

---

[1]) cf. Plutarch. G. 16. Sueton. G. 12. Dion. Cass. 64. 2. — [2]) cf. Plutarch. G. 16. — [3]) Neque hoc ignoravit senatus; qui „ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat, rostratae columnae superstantem in parte fori, qua trucidatus est.‘ Sueton. G. 23. Optime etiam populus Othone occiso Galbae merita agnovisse videtur; nam „cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit congestis in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat.“ Tacit. Hist. II. 5. Tacit. H. III. 7. Niebuhr V. p. 272. „Er kann inter bonos et malos principes gerechnet werden und hätte vielleicht ein ganz guter Fürst werden können, wäre er nicht durch die Schwächen des Alters verhindert worden.“

[4]) cf. Sueton. G. 22. Aurel. Victor. epit. VI. — [5]) cf. Sueton. G. 6. Calig. 26. Quondam quum imperator Cajus in Galliam venisset, Galba per viginti passuum milia ad imperatoris essedum, scuto tantum moderatus, cucurrit. — [6]] cf. Sueton. G. 22. Aurel. Victor. epitom. VI. — [7]] cf. Malalas p. 258.